SEPTIMII M. VECCHIOTTI

INSTITUTIONES

CANONICAE

ex Operibus

IOANNIS CARD. SOGLIA

EXCERPTAE

VOLUMINIS I.

PARS PRIOR

TAURINI
ex typis
HYACINTHI MARIETTI

MEDIOLANI
apud
BONIARDI-POGLIANI

MDCCCLXVII

INSTITUTIONES CANONICAE

SEPTIMII M. VECCHIOTTI

INSTITUTIONES CANONICAE

EX OPERIBUS

IOANNIS CARD. SOGLIA

EXCERPTAE

et ad usum Seminariorum

ACCOMMODATAE

Voluminis I.

PARS PRIOR

TAURINI

EX OFFICINA ECCLESIASTICA

HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXVII

PRAEFATIO

Unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, quum esset natura invisibilis, assumptione humanae carnis visibilis factus est, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ut nempe Ecclesiam suam conderet convocandam ex omnibus gentibus in haereditatem et regnum eius. Cum autem visibilis quaelibet perfectaque hominum societas, qualis profecto Ecclesia futura erat, diu stare non possit absque visibili, eique proprio, quo regatur imperio, seu administratione, hinc antequam ipse ad coelum, unde venerat, reverteretur, vocavit discipulos suos et elegit

duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit, eisdemque acceptam a Patre potestatem, ut pro se legatione fungerentur in terris, communicavit; cunctis tamen praeficiens Petrum, cui primatum potestatis et iurisdictionis, non ordinis tantum et honoris, concessit.

Hoc divinitus institutum Ecclesiae regimen, quod durabit in legitimis successcribus usque ad consummationem saeculi, quemadmodum ipsius Ecclesiae fundamentum existit et forma, idem quoque obiectum est universi iuris canonici. Et quoniam huiusmodi regimen spectari potest vel comparate ad personas, quae Ecclesiam imperio et iurisdictione gubernant, vel comparate ad res, circa quas ipsorum potestas versatur, vel comparate ad iudicia, quorum coërcitione homines in officio continentur, ita Ius Canonicum tribus hisce partibus continetur, quae nimirum sunt de Personis, de Rebus, et de Iudiciis.

Honestissimam hanc sacram iurisprudentiam dum studiosae Seminariorum ac Collegiorum iuventuti, quae liberali institutione instruitur, sacrorumque canonum disci-

plina exercetur, facili methodo exponere conabor, nolim quemquam existimare me controversiis tractandis, non institutionibus tradendis operam daturum. Eorum enim omnium quae ad institutiones canonicas pertinent, hic simplicem et dilucidam expositionem benevolus lector solum inveniet, opusque prae manibus habebit, quod Iuris Canonici sit veluti enchiridion, omnibusque regionibus, quantum fieri potest, accommodatum et utile. Pugnabimus quidem pro sententiis nostris, verumtamen parce admodum et quantum ratio institutionum patitur.

Ego mihi quidem videor nulla ratione comparandus praestantissimis viris, qui hactenus hanc materiam non pertractarunt modo, verum etiam illustrarunt. Si quid tamen est in me ingenii, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua ecclesiasticarum rerum peritia, quibus a puero fui deditus, aut si quid in disciplinis exponendis labor et diligentia valet, id totum ad adolescentium profectum, rectamque institutionem conferam; primo quidem ex ipsius officii debito, cui intacta iustitia deesse non possum; tum vero etiam, ut aliquam grati animi signi-

ficationem exhibeam iis, qui me ad opus edendum impulerunt. Prodit igitur opus duobus constans voluminibus, quorum primum, post praenotiones canonico iuri praemittendas, de personis agit, dum in altero de rebus et iudiciis est sermo. Quare opus, cui titulus *Institutiones Canonicae*, in quatuor libros distinguitur: I. continet Prolegomena Iuris Canonici; II. Tractatum de Personis exhibet; III. de Rebus loquitur; IV. tandem Iudicia proponit.

Restat, ut pauca de singulis libris in medium proferamus, atque ita totam consilii nostri rationem etiam atque etiam aperiamus. Ita legenti cuilibet scrupulus dubitatioque omnis, si qua forte irrepserit, penitus eximetur, quo facilius frui hoc opere possit.

In primo igitur libro ea praenotantur scitu admodum necessaria, quae generatim Iuris Canonici originem et indolem respiciunt; discrimen insuper ius inter canonicum et ius civile, ac sacram theologiam exponitur, et plura de Canonum divisione, ac iurisprudentia ecclesiastica disseruntur. Hinc de iuris canonici partibus, seu de prae-

ceptis naturalibus ac divino positivis, et de Constitutionibus apostolicis, ac ecclesiasticis, nec non de iuris canonici fontibus, ubi de consuetudine, de rescriptis, et de Canonum collectionibus, adminiculisque ecclesiastici iuris operae pretium duxi dilucide adeo, ordinatim, et quantum fieri potest, strictim simul atque accurate loqui, ut abs me plura nemo desiderare queat, quorum omnium cognitio ad iurisprudentiam viam sternit rite recteque addiscendam.

In libro secundo de Personis agitur et plura recensentur capitula, quae sunt de personarum conditione, de Romano Pontifice, de S. R. E. Cardinalibus, de Patriarchis, de Primatibus, de Archiepiscopis, de Episcopis, de Canonicis, de Parochis, de Monachis et de Regularibus, ubi ea recensentur, quae horum omnium dignitates, officia, iura, munera, dotes, modosque acquirendi praelaturas, easque amittendi respiciunt; ac demum sermo est de iis, quae ad sacras ordinationes, ac irregularitatem referuntur.

Sermo in tertio libro instituitur de Rebus: atque in primis quaeritur de rebus Ecclesiae temporalibus; hinc proponuntur et decla-

rantur multa de beneficiis ecclesiasticis, de bonorum administratione, de alienationibus, deque aliis contractibus, quorum notitia est ecclesiastici iuris studiosis valde necessaria. Obvius hinc est transitus ad res quae scilicet Deo, sive religioni sunt consecratae, seu ecclesiae, altaria, capellae, monasteria, coemeteria, seminaria, hospitalia, atque horum omnium privilegia, immunitates et administrationes. De Sacramentis demum nonnisi raptim, et capta occasione breviter loquar. Verum uberrime atque omnino accurate, prout rei gravitas exigit, de Matrimonio, in separato libro disceptabo, ubi quaestiones omnes quae de amplissimo hoc argumento agitantur, gravioresque censentur, excutiam. Non enim visum mihi fuit de Matrimonio, aliisque sacramentis in hoc secundo libro speciatim loqui, praesertim quod in Seminariis de his agitur ab antecessoribus Theologiae dogmaticae, ac moralis. Ubi vero notitia qualiscumque utilis esse potest, ibi res concinne et nitide explicare, atque opportunis argumentorum et auctoritatum momentis resolvere conabor.

Ad librum postremum, in quo de civili-

bus et criminalibus Iudiciis tractatio est, spectant ea omnia, quae de potestate ecclesiastica tum iudiciaria, tum coërcitiva, de foro competenti, de norma exercendorum iudiciorum, itemque de delictis et criminibus, deque poenis ecclesiasticis praecipuis, et censuris breviter disputari possunt.

Ab iis quaestionibus proponendis, de quibus nihil certi est definitum, et quae incolumi fide hinc et inde varie agitantur, sedulo abstinui, vel eas levissime solummodo tetigi, in hunc finem, ut contemnendas potius, quam serio cavillationes refutandas esse arbitrari me ostenderem. Iis vero, quae certa sunt, vel quae in dubium, fide incolumi, revocari nequeunt, attente ita studui, ut quantum operis totius angustiae sinerent, catholicae veritatis salubritati, ut ita dicam, atque integritati omnino consulerem, quum probe notum perspectumque mihi esset, nullam esse sacram iurisprudentiam, quae a catholicae Ecclesiae fontibus derivata non sit.

Lectores insuper monitos volo, me in hoc opere Ius praesertim ecclesiasticum commune, quod nempe TOTI ORBI CATHOLICO *commune* est, tradendum suscipere, salvis tamen re-

gnorum atque provinciarum consuetudinibus legitime praescriptis, privilegiis apostolicis, aut pactis cum apostolica Sede conventis. De iure igitur ecclesiastico peculiari seu *locali*, ut aiunt, proprio scilicet provinciis singulis, ac regionibus, nonnisi capta occasione, aliquid dicendum mihi esse duxi, eo vel magis quod specialis nimis quaestio est, eaque valde implexa atque ardua. De peculiari hoc iure pro rei gravitate disserere ad Institutionum Canonicarum antecessorem spectabit, qui attentis locorum, temporum, ac personarum adiunctis, vel in praelectionum decursu, vel in fine, coronidis loco, ea accurate exhibebit ac referet, quae magis probanda in se, et in praxi secura sibi videbuntur.

Nolumus denique quemquam existimare, hanc nobis fuisse mentem, ut iuris ecclesiastici quaestiones omnes etiam abstrusiores pertractandas definiendasque susciperemus. Id enim iure nemo desiderare potest, imo si prosequi finem hunc vellemus, non tantum opus aggrederemur virium nostrarum tenuitatem multum superans, verum etiam in immensum ipsum excresce-

ret, et longius certe, quam institutionum ratio patitur, oratio nostra progrederetur. Quapropter benevolus lector eorum modo, quae scitu sunt magis necessaria, simplicem ac dilucidam inveniet expositionem: caeteras vero quaestiones, quas vel summis labiis tantum delibavimus, vel silentio consulto praetermittendas duximus, si cognoscere cupit, plures auctores adire poterit, qui fuso calamo, et magno eruditionis apparatu illas mature sapienterque pertractarunt.

Cum in hoc opus incumberem, mihi semper versata sunt ante oculos ea verba Iustiniani Inst. de Iustitia et Iure § 2: « Iura... ita videntur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur: alioquin si statim ab initio rudem adhuc, et infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, saepe etiam cum diffidentia (quae plerumque iuvenes avertit), serius ad id perducemus, ad quod leniore via ductus, sine magno la-

bore et sine ulla diffidentia maturius perduci potuisset. »

Caeterum, quod mihi proposui perscribendis hisce Institutionibus, ut securius assequerer, orare non destiti identidem Deum, a quo omnis nostra sufficientia est, et gloriatio, ut mihi daret sedium suarum adiutricem sapientiam, quae mecum laboraret, lectori autem intellectum, bonamque voluntatem discendi, et faceret, ut studia sua ad maiorem ipsius gloriam, ad Ecclesiae bonum, et animarum salutem proficerent.

INSTITUTIONUM
CANONICARUM
LIBER PRIMUS

PROLEGOMENA
IN IUS CANONICUM

Canonicae disciplinae praemittuntur prolegomena, quia viam sternunt adolescentibus studiosis ad ipsam iurisprudentiam facilius ac tutius addiscendam. Prolegomena autem sunt praenotiones eorum, quae ad generalia eiusdem disciplinae principia pertinent, inter quae praecipuum locum obtinent fontes ipsius iuris, sive loca, ex quibus regulae et praecepta canonica hauriuntur.

Ut igitur propositam materiam integre complectamur, ac rite recteque tractemus, ea omnia, quae ad Iuris canonici nomen, naturam, partes, vim, auctoritatem et fontes spectant, dilucide et distincte explicabimus in capite sequenti.

CAPUT I.

DE IURE CANONICO GENERATIM

§ 1.

De nomine Iuris Canonici.

Canon graeca vox est, quae proprie denotat normam, seu regulam, qua lineae in mechanicis artibus diriguntur. At scriptorum usu ea vox translata est ad regulas morum, legesque significandas; quamobrem L. 1, ff. de legib. generatim lex definitur *Canon*, *seu regula iusti et iniusti*. Modestum hoc Canonis nomen Ecclesia quoque adoptavit, ut fidei, morum, et disciplinae leges significaret; quin et Apostolus ipse non semel in eadem significatione nomen Canonis usurpavit. Hinc factum est, ut libri veteris novique Testamenti, qui divinitus datas credendi agendique regulas continent, *Canonici* dicti sint, et Ecclesiae Constitutiones, quibus fidei morumque regulae explicantur, vel novae disciplinae leges conduntur, universim *Canones* audierint. Et quamquam apud Scriptores invaluerit, ut solae disciplinae regulae Canones vocarentur, Tridentina tamen Synodus antiquum morem sequuta, suas fidei definitiones nomine Canonum insignivit. Cum igitur fidei, morum, et disciplinae regulae, quibus christiani homines ad aeternam salutem diriguntur, peculiari quadam ratione Canones nuncupentur, merito ius

illud, quo hae regulae continentur, Ius canonicum dictum est.

De variis Iur. eccl. nominibus vide Doujat Prooem. can. L. 1, c. 1, et Zalwein princ. Iur. eccl. c. 1, §. 1 et seqq.

§ 2.

De Iuris Canonici definitione et obiecto.

Itaque Ius canonicum definiri potest « Complexio canonum sive legum fidem, mores et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate christianis vel praescriptae, vel propositae sunt. » In primis itaque Ius Canonicum definitur *Collectio canonum sive legum*, quod est loco generis, et commune cum aliis iuribus; ita ius civile, vel municipale est collectio legum, quas Civitates sibi constituerunt. Additum est *canonum*, SIVE LEGUM ad rem uberius explanandam, ut videlicet significaretur, canones non meras regulas esse, quarum vis omnis in suadendo et monendo posita sit, sed leges proprie dictas, quibus oportet obtemperare. Praeterea dictum est *fidem*, *mores et disciplinam spectantium*, ex quo intelligitur, tria haec obiectum esse, in quo Ius canonicum versatur. Omnes quippe canones aut de dogmatibus fidei, aut de morum praeceptis, aut de legibus disciplinae conscripti sunt.

Sequitur, *quae ab ecclesiastica potestate*, quibus ex verbis discimus, quemadmodum Ius canonicum non solum ratione obiecti, verum etiam ratione potestatis, unde manat, ab aliis iuribus differat. Illud enim vero ab Ecclesia conditum est, scilicet ab iis, qui ius imperandi in Ecclesia ab ipso Chri-

sto acceperunt. Quam sane ob causam dici consuevit tum Ius *ecclesiasticum*, videlicet ab Ecclesiae Rectoribus constitutum, tum etiam Ius *Pontificium*, quod canones bene multi a Summis Pontificibus Primatum Ecclesiae gerentibus sanciti sunt. Per illud verbum *christianis* Iuris canonici subiectum designatur. Soli etenim christiani ecclesiastico Iuri subiiciuntur, quatenus per baptismi Sacramentum in Ecclesiae societatem recepti, eius partes et membra evaserunt. « Quid mihi, inquit Apostolus 1ª Cor. c. V, v. 12, de iis, qui foris sunt iudicare? » Igitur Iudaei, Gentiles, et Turcae legibus mere ecclesiasticis non ligantur, quia nomen christianae militiae non dederunt; at ligantur haeretici, schismatici, excommunicati, et apostatae, propterea quod character Sacramenti, quo insigniti sunt, et obligationes characteri adnexae his criminibus non delentur.

Denique posteriora haec verba *vel praescriptae, vel propositae sunt* addenda duximus, eo quod earum legum, quibus Ius canonicum constat, alias Ecclesia praescribit, alias tantummodo proponit. Prioris generis illae sunt, quas ecclesiastica potestas pro ratione locorum, temporum, et personarum condit, quas ut praescribere, sic etiam mutare et abrogare potest, quae leges ecclesiasticae *positivae* dici solent. Alterius generis sunt, quae a iure naturali, aut divino promanant; Ecclesia vero auctoritate sua proponit, vel explicat. Ita Constitutiones de rebus fidei et morum, quanquam ecclesiasticae nominentur, propterea quod ab ecclesiastica auctoritate propositae, et addita etiam poena sancitae fuerint, nihilo tamen secius ad ius naturale, et divinum earum origo referenda

est, manentque perpetuae et stabiles; qua de re infra dicendum erit.

Quorundam auctorum definitiones de Iure canonico videsis penes Bouix tract. de Principiis Iur. can. p. 1, sect. 2, c. 1, §. 2, Paris, 1852. Notandum hic est, leges ab Episcopis pro suis subditis latas, Ius canonicum latiori tantum sensu spectare.

§ 3.

De discrimine Theologiam inter et Ius Canonicum.

Fidei morumque tractatio tum ad dogmaticam, et moralem Theologiam, tum ad Ius canonicum pertinent. Verumtamen res aliter a Theologia, aliter ab ecclesiastico Iure spectatur. Namque Theologia dogmatica de fide, rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi, atque hinc studium omne, et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quaevis sanae et catholicae doctrinae congruat, vel adversetur. At Ius canonicum res fidei respicit, ut ex eis agendi regulam hauriat, cum multae sint disciplinae leges, quae a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat. Ad mores autem quod attinet, « Theologia moralis, ait Schwarz in Inst. iur. pub. univ. instr. I. §. 3, motivo generali bonitatis atque malitiae, versatur circa virtutes omnes ac vitia: spectat primario, ac praecipue forum internum, et tractat actiones quaslibet sive respectum habeant ad Civitatem, sive non. » Sed Ius canonicum rationem habet officiorum, quae in ecclesiastica societate praestanda sunt, ut fideles pie honesteque conversentur; et idcirco respicit fideles

ratione habita ad communitatem ecclesiasticam, forumque externum maxime intuetur. Praeterea Canones, recte observante Gersonio in recommendatione licentiandorum in decreto, « non sunt nisi conclusiones ex principiis theologicis, id est ex Evangelio, et aliis libris canonicis elicitae, vel illatae, vel etiam determinationes loci, temporis, modi, quo ius divinum observandum praescribitur. »

Denique Ius canonicum divinis legibus sive fidem, sive morem spectantibus addit ecclesiasticas leges, sive poenas, quibus improbi homines in officio contineantur: qua de causa extant tituli de haeresi, de apostasia, de simonia, de adulterio, de periurio, de furtis et similibus. Uno verbo Theologia tota est in rebus fidei, et morum universim investigandis, illustrandis, et propugnandis; Ius canonicum in iis custodiendis, propagandis et in usum actumque perducendis: quamobrem iure merito a Boëtio, et Alvaro Pelagio Theologia rectrix et practica nuncupatur.

Vide, si lubet, Philipps op. de Iure can., quod ex germanica in gallicam linguam reddidit presbyter Crouzet, Paris, 1850, tom. 1, p. 16, sub titulo: « Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux. » Si quis praeterea velit cognoscere specificum inter Ius canonicum ac civile romanum discrimen adeat Reiffenstuel, et Zallinger.

§ 4.

De discrimine inter Ius civile atque Ius canonicum, et huius praestantia.

Tria sunt, quibus Ius canonicum et civile inter se differunt, videlicet *origine*, *obiecto*, et *fine*. Primo quidem differunt *origine;* namque, ut inquit

Zallinger de Iure naturae publico lib. III, cap. VI, §. 223, « Origo imperii civilis est a Deo ut auctore naturae, neque naturae ordinem, ac limites transcendit; origo imperii ecclesiastici a Deo est, ut collatore gratiae supernaturalis, proindeque longe altioris ordinis, quam ut cum ulla re temporali in comparationem venire, aut pretio comparari possit. » Differunt *obiecto*, propterea quod ius ecclesiasticum spiritualia et sacra moderatur; civile politica et temporalia. Differunt denique *fine*, quia ius ecclesiasticum aeternam hominum beatitudinem praecipue spectat; civile vero temporalem tantummodo felicitatem. Ex qua triplici differentia proditur etiam triplex causa, quamobrem Ius canonicum longe multumque iuri civili antecellit. Igitur Ius canonicum excellit 1° ratione potestatis unde manat. Praeclare Fortun. Garcia de ultimo fine utriusq. iur. num. 72: « Prima est excellentia causae efficientis; nam Summus Pontifex maiorem habet iurisdictionem, et excellentiorem quam ipse Imperator. Itaque dignitas supremi Pontificis est multo clarior, et eminentior dignitate Imperatoris, quod a Deo super omnem animam constitutus est, unde idem etiam Imperator ei subiicitur. At constat, quod leges superiorum digniores sint legibus inferiorum. » 2° ratione obiecti: Tanto altiores, eleganter scripsit Baldus lib. 1. consil. 464, sunt Canones, quanto coeli sunt altiores terra, quia tantum distant Canones a legibus mundi, quantum perpetuum a corruptibili, et sacra a profanis. » 3° denique ratione finis, quod « haec duo iura, ut verbis utar laudati Garcia cit. oper. num. 19, se habent ut anima et corpus, cum ius civile intendat in com-

mune bonum, secundum quod convenit humanae societati; ius vero canonicum non solum secundum quod convenit humanae societati civiliter, sed etiam secundum finem in Deum intendendo, et aliam vitam expectando. » Vide Schmalzgrueber diss. prooem. §. 7, n. 233 et seqq.

Attamen nemo putet, se plurimum posse in canonica iurisprudentia proficere et valere, nisi civilis iuris studio operam quoque dederit. Nam utraque haec iura inter se ita nexa, copulataque sunt, ut alterum alteri auxilium praestet; quamobrem Lucius III. cap. I. de nov. oper. nunc. « Sicut, inquit, leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur. »

§ 5.

De Iuris canonici amplitudine et necessitate.

Iuris canonici amplitudo ex magnitudine et copia rerum, de quibus agit, comprobatur. Cum itaque, ut diximus in praefatione, triplex sit ipsius obiectum, videlicet *personae, res* et *iudicia;* iam prono alveo fluit, ius canonicum obiecto suo amplissimum esse, et varietate rerum iucundissimum.

Quod autem ad eius necessitatem attinet, Iuris canonici scientia necessaria est primo quidem clericis. Ili enim iuris discendi necessitate adstricti sunt, tum ratione praecepti, tum ratione muneris clericalis. « Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, » edixit Coelestinus pontifex epist. III, cap. I, compluresque sunt ecclesiasticae leges, quibus clerici iubentur canonum sibi scientiam comparare. Deinde ratione muneris debent perspectos ha-

bere canones, « praesertim in iis, quae ad munera sua rite praestanda necessaria sunt, ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina, » ut habemus ex Concilio toletano III, can. 23. Deinde ne laicis quidem, potissimum illis, qui causas dicunt aut iudicant, sacrorum canonum scientia negligenda est, propterea quod tanta est utriusque iuris connexio, ut in negotiis et causis civilibus, ubi alterum ius aut nihil, aut obscure admodum aliquid constituit, per alterum ius explicari et suppleri debeat. Praeterea multae sunt leges in iure civili a sacris canonibus emendatae, quas nec advocatis laicis fas est ignorare. Denique omnes, qui in foro versantur, agendorum iudiciorum rationem, quam sacri canones tradiderunt, cognitam habere debent, quae utpote planior et simplicior, communi omnium Tribunalium usu recepta est.

Vide Eybel Introd. in Ius eccl. tom. 1, l. 4, c. 3, §. 85 et G. Chr. Wolfium prog. Quantum intersit reipub. Iur. can. studium. Lipsiae 1740.

§ 6.

De Iurisprudentia ecclesiastica.

« Cum omnes ferme leges, egregie dixit Zallwein in princ. iur. eccl. tom. I, q. 2, cap. 3, sint regulae generales, et impossibile sit legem ferre ita claram, quae nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus Legislator praevidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non solum recte intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter applicentur,

et ad casus in legibus non expressos iusta interpretatione extendantur. » Haec itaque prudentia explicandi applicandique iuris solet iurisprudentia vocari, atque adeo definiri: « Facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi. » Itaque iurisprudentiae ecclesiasticae duae sunt veluti partes, quarum una leges ecclesiasticas scienter interpretatur, altera easdem leges ad facta, sive ut vulgo aiunt, *ad casus obvenientes applicat*. Prima iurisprudentiae pars, quae in rectam interpretationem legum incumbit, ardua est, multarumque rerum peritiam postulat; altera pars, quae in applicandis legibus versatur, expedita et facilis est, statim ac ex apta legis interpretatione mens Legislatoris comperta fuerit.

Igitur interpretatio est *alicuius legis obscurae vel ambiguae explanatio;* hinc Cicero lib. 1. de div. ait: « quia erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum. » Recta vero huiusmodi legum interpretatio ex verbis et probabilibus coniecturis eruenda est. Quod pertinet ad verba, isthaec accipienda sunt in significatione propria et usitata; sic enim putandum est a Legislatore adhibita fuisse, ut facile ab omnibus intelligerentur. Sed ratio temporum habenda est, quandoquidem sunt aliqua vocabula, quae antiquis temporibus aliud significabant, aliud modo significant. Exemplo esse possunt isthaec vocabula: *dioecesis*, *parochia*, *viaticum*, et alia, quorum antiquae significationes in alias mutatae sunt. Vim et potestatem huiusmodi verborum, habita ratione temporum, explicarunt Albaspinaeus, Balutius, Carolus Fresnius, aliique.

Coniecturis autem ad percipiendam Legislatoris mentem opus est, si verba sint flexiloqua, non connexa, involuta, aut si partes orationis sibi invicem repugnare videantur. Tum enim occasio, sive ratio, ob quam lex condita fuit, et adiuncta personarum, locorum, ac temporum investiganda sunt, ex quibus lux aliqua effulgebit, ut possimus in mentem Legislatoris, sensumque legis penetrare.

Verum de his non attinet plura dicere, atque ad rem nostram satis erit haec, quae sequuntur, adnotare.

Quadruplex interpretatio legis est, *authentica*, *usualis*, *iudicialis*, et *doctrinalis*.

Authentica, seu *legislativa* est, quae fit a Legislatore vel eius successore, et authentica apud iuriconsultos dicitur, quia indubitatam et legitimam auctoritatem habet. Haec enim interpretatio instar legis retinenda est, eo quod ab ipso legislatore proficiscitur, ab eaque recedere licet nemini.

Usualis est legis dubiae per usum, sive consuetudinem, facta interpretatio. Consuetudo enim ex cap. « Dilectus 8 de consuet. » optima est legum interpres: et ex leg. 37 ff. de legib.: « Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo iure civitas retro in huiusmodi casibus usa est. Optima enim legum interpres consuetudo; » et leg. 38 ff. eod. edicitur: « In ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem, vim legis obtinere. » Tridentina Synodus sess. 24, cap. 1 de refor. matrim. decrevit, irritum nullumque matrimonium fore, quod ubicumque decretum illud pu-

blicatum esset, « aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus » contraheretur. Decretum singulari modo nominat parochum; sed cum duo esse parochi possint, alter sponsi, et alter sponsae, dubitatum est, quisnam parochus adhibendus, sponsi ne, an sponsae, an utriusque? Itaque opus erat interpretatione. Iam vero alterutrum parochum rite adhiberi consuetudo interpretata est; namque coram parocho sive sponsi, sive sponsae celebrari matrimonia coepta sunt, eaque rata et legitima haberi; quam deinde interpretationem decreta apostolicae Sedis approbaverunt. Sed postquam consuetudo legitime praescripta est, interpretatio non eget legislatoris approbatione, et loco legis est, siquidem utriusque iuris auctoritate nititur.

Interpretatio *iudicialis* est, quae fit a iudice, dum in ferenda sententia ius allegat, illudque interpretatur. Sed huiusmodi interpretatio perinde ac sententia, et res iudicata inter solos litigantes ius fecit, aliis vero nec nocet, nec prodest, l. 2. Cod. *quibus res iudicata non noceat*, et c. 17 de sent. et re iudicat., nisi causae sint connexae; quibus de rebus late disserunt Doctores ad titulum Decretalium *de sententia et re iudicata.*

Doctrinalis denique interpretatio est, quae fit a iurisperitis, aliisque viris doctis, qui legibus, canonibusque interpretandis operam navant. Horum interpretationes tantum valent, quantum probant rationes et argumenta, quae ab ipsis afferuntur, et aliter sentire integrum est unicuique. De divisione huius interpretationis in declarativam, extensivam, et restrictivam, variisque, quibus regi-

tur regulis, vide MASCHAT, Inst. Iur. can. t. I, tit. 2 de consuet. §. 4.

Pius IV in sua Constitutione « *Benedictus Deus* » omnia, quae a Tridentina Synodo acta, statuta, et definita fuerant, confirmavit, et simul gravissimas poenas constituit in eos, « qui ausi fuissent ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere. » Deinde animadvertens, ut ipse ait, « parum esse iura condere, nisi sint qui ea exsequutioni demandari faciant, » alia Constitutione edita « *Alias nonnullas* » octo Cardinales delegit, qui sedulam navarent operam, ut Concilii Tridentini decreta ab omnibus, ad quos pertinerent, accuratissime servarentur. Hinc ortum habuit *Congregatio*, quae primum dicta est *Cardinalium Concilii Tridentini*, eique Sixtus V. Constitutione « *Immensa* » potestatem insuper fecit eiusdem Concilii « Decreta de reformatione interpretandi, Nobis tamen consultis, » ut Pontifex ibidem ait, ita scilicet ut de quacumque interpretatione Romanus Pontifex consuli omnino deberet. Tunc itaque « Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum » vocari coepta est, eiusque vero interpretationes, et responsa *Declarationes* appellantur.

Canonistae disputant quaenam huiusmodi Declarationibus vis, et auctoritas tribuenda sit? Qua de re in primis videndum est, utrum Declaratio ad privatam quaestionem, sive litem dirimendam, an ad dubiam legem generatim interpretandam, an vero ad novam legem efformandam, aut ad legem iam existentem immutandam edita fuerit. Namque Cardinales in ea Congregatione vel privatorum

causas iudicant, vel leges generatim interpretantur, vel novas condunt leges, et antiquas immutant iussu Summi Pontificis, adeoque potestate iudiciaria, et interpretativa, natura sua, legislativa vero, ex delegatione, ac auctoritate suprema, potiuntur.

Iam vero Declarationes, quibus privatorum lites, et controversiae dirimuntur, quamquam ob singularem Cardinalium prudentiam atque doctrinam plurimi faciendae sint, non videntur tamen eam vim habere, ut inferiores iudices adigant ad idem in similibus causis iudicandum, tum quia Cardinales non interpretum, sed iudicum personam agunt, iudices vero inter solos litigatores ius faciunt, tum quia in privatis quaestionibus peculiaria facti adiuncta saepius in causa sunt, cur ita iudicetur. Quapropter Cardinalis de Luca in Annotat. Concil. Trid. disc. 1, num. 11, ait: erroneum esse in particularibus Declarationibus cum consueta caeca fide vim constituere, cum illae, quae singulos vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate, et circumstantiis manare soleant, ideoque alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles, cum diversimode ob diversam facti qualitatem saepius decernere congruat. »

Declarationes vero, quae ab eadem Congregatione eduntur, quaeque proprie in legum interpretatione versantur, authenticas et legitimas esse, adeoque vim legalem praeseferre, omnesque devincire, queis earum notitia certo pervenit, absque ulla dubitatione affirmamus. Authentica enim et legitima interpretatio est, quae fit a legislatore, vel ab alio ex ipsius legislatoris auctoritate. Iam vero inter-

pretationes Congregationis Concilii huiusmodi auctoritate nituntur. Siquidem Trid. Synodus sess. 25, *de recipiendis et observandis decretis Concilii* ait, se confidere, difficultates et dubitationes omnes, quae occurrerint, per Romanum Pontificem sublatum iri, « commodiore quacumque ratione ei visum fuerit. » Romani vero Pontifices istud munus interpretandi decreta, quae ad disciplinam, morumque reformationem pertinent, eidem Congregationi detulerunt. Eius ergo Congregationis interpretationes authenticae et legitimae sunt. Quin immo cum fiant consulto Pontifice, vel saltem eius auctoritate vel nomine, sunt profecto ipsius Pontificis propriae; namque, ut ait Imperator lib. 1, C. de veter. iur. enucleand., « omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem. » Quae quidem declarationes, ut vim habeant, solemni promulgatione non egent, quia ius novum non constituunt, sed iam constitutum interpretantur; « quam interpretationem, sunt verba Auth. de muliere raptum passa §. fin. collat. 9, non in futuris tantummodo casibus, verum in praeteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a Nobis. » V. Fagnanum in cap. Quoniam de Constit.

Tandem declarationes quae legis textum aliqua ratione immutant, aut novam legem constituunt, obligandi vim haud praeseferre, nisi summi Pontificis auctoritate edantur, ac consueta forma promulgentur, ab omnibus admittitur. Vide Zamboni, Collectio declar. suppl. introduct. ad ult. vol. p. 89 et 102; s. Alphonsum de Ligorio, Homo apost. tract. de Leg. c. III, n. 34; Stremler, Traité des peines eccl., pag. 500-541; « Revue des sciences

ecclésiastiques » Jan. 1860, pag. 36 ; N° 3 Mars 1860, pag. 179 et seqq.

Quae de Sacra Concilii Congregatione dicta sunt, ad caeteras congregationes romanas applicari commode possunt, quum eadem prorsus argumenta militent. Ad Rituum vero congregationem quod attinet, operae pretium est hic referre decisionem die 23 maii 1846 editam. Ad dubium « an decreta a S. Congregatione emanata et responsiones quaecunque ab ipsa propositis dubiis, dummodo scripto formaliter editae fuerint, eamdem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae, » responsum fuit: « affirmative. » Quum porro quaesitum fuerit « an per verba dummodo formaliter scripto editae fuerint » — sufficiat, quod sint subscriptae a SS. RR. Congregationis Praefecto et Secretario, ac eiusdem sigillo munitae, vel potius requiratur, ut sint vel Romae, vel ab Episcopis in suis dioecesibus promulgatae, » responsum est: « affirmative ad primam partem, negative ad secundam. » Die 8 Ap. 1852.

Aliqui canonistae, inter quos Van Espen p. 1, *Iur. eccl. univ. tit.* 22, *cap.* 5, et Gibert *Prolegomenorum in corpus Iuris canonici per regulas ordine naturali digesti parte priore tit.* 23, contendunt, Declarationes Congregationis Concilii, aliarumque Congregationum Cardinalium mere doctrinales esse, non legitimas, non authenticas, neque proinde ullam vim legis habere, quorum argumenta refellit P. Ruprecht *in Notis historicis in universum Ius canonicum, tit.* 2 *de Constitut., cap.* 7. Vide etiam Fagnanum in cap. 7, *Quoniam* num. 6 et seqq. de Constit. a cap. et

s. Alphonsum de Ligorio, Theol. mor. t. 1, n. 106. Praestat hic coronidis loco referre, quae duo clarissimi viri de Congregationibus disserunt.

Card. Paleotti de Consultationibus consistorialibus p. 5, quaest. 11 ait, « Congregationes Cardinalium, quas summi Pontifices, et praesertim Sixtus V ad causarum difficultates ipsius auctoritate cognoscendas et definiendas instituerunt, esse tanquam filias Consistorii, ab eo veluti fonte promanantes. Et quemadmodum sol non solum ipse lucet, verum etiam stellis lumen impertitur, quo et coelum ornant, et illuminant orbem universum, sic summum Pontificem non suis decretis modo Ecclesiam per se ipsum docere et moderari, verum etiam ita Cardinales sua tum auctoritate fulcire, tum potestate augere, ut sociatis laboribus facile omnes difficultatum nodos dissolvant. » Zamboni in dissert. praeliminari op. Collectio decret. S. C. Card. S. C. trid. Interp. edit. Romae 1816. « Munus Cardinalium in dirigendis negotiis universae Ecclesiae maxime hodie elucet ex Congregationibus cardinalitiis, quae sunt coetus quidam, seu collegià quodammodo Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda, discutienda, quin et absolvenda, atque de illis etiam iudicium ferendum; ideoque aliquam speciem tribunalis, suos officiales, et inferiores ministros singulae Congregationes habere solent. Porro ne ipse solus Pontifex Ecclesiae onere, quod est angelicis humeris plane formidandum, opprimeretur, illud inter Cardinales, apta quadam distributione, pro temporum conditione, negotiorumque multitudine et varietate, ipsaque utilitatis ratione, salubriter partiri coe-

ptum est, ut qui ex omnibus mundi partibus ad hanc Matrem, Magistram, perfugiumque fidelium apostolicam Sedem devotionis, salutisque studio, iuris persequendi, gratiae impetrandae, aliasve multiplices ob causas frequentissime confugiunt, ii quidem eo, ut facilius celeriusque expediantur, distinctos Cardinalium conventus et Congregationes ad certas rerum, et negotiorum tractationes paratas habeant, Cardinalesqne ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent, commodius Romanum Pontificem consulant, et denique viri primarii publicis in rebus exercitati, nullo unquam tempore desint, Congregationes fuerunt institutae, singulis certis negotiis cum particularibus facultatibus assignatis, ita tamen ut graviores et difficiliores consultationes ad Papam referantur. Hinc factum est, ut pro regimine universalis Ecclesiae, ultra Consistorium sint institutae nonnullae Congregationes Cardinalium, quae ignotae fuerant antiquis temporibus, utpote ex eodem Cardinalium collegio erectae. »

Vide Salzano Institutiones Iuris canonici §. 47—52, Auctorem Institution. Iuris canonici publici et privati, Parisiis 1853, l. 5, c. 2, art. 2; Analecta Iuris Pontificii, pag. 2230 et 2566, An. 1856. « Synopsim R. S. Cardin. Congregat. auctore A. Haine » Lovanii 1857, Bouix, « de Curia romana » p. 3, c. 7 et Gousset « Exposition des principes de Droit canonique » p. 127 et seqq.

§ 7.

De Canonum divisione.

Canones in duas classes dividi vulgo solent; in prima classe *dogmatici*, in altera *disciplinares* recensentur: omnis quippe christianorum vita dua-

bus regulis, nimirum credendi regula, et regula agendi continetur: ac proinde credendi regula a canonibus dogmaticis, a disciplinaribus autem agendi regula exhibetur. Verumtamen cum de regula agendi sermo est, qui distincte atque explicate loquuntur, canones morum a canonibus disciplinae separant, atque adeo, quemadmodum triplex est Iuris canonici obiectum, nempe fides, mores, et disciplina, quod superiori capite docuimus, sic quoque canones trifariam dividunt, videlicet in canones *fidei*, in canones *morum*, in canones *disciplinae*. Operae pretium est de his tribus canonum speciebus aliquid enucleate dicere; namque cognitio naturae, atque indolis singulorum canonum non modo valde iuvat, sed necessaria omnino est ad ea dilucide recteque percipienda, quae universim de vi et auctoritate canonum dicenda sunt.

§ 8.

De Canonibus fidei.

Canones fidei sunt in quibus aliquid credendum proponitur. Itaque ipsorum obiectum est veritas aliqua divinitus revelata, quam fideles debent firmiter credere et profiteri. Plures huius generis canones a priscis Iuris canonici collectoribus congesti sunt, eosque Gratianus sequutus est, ac proinde quae catholica fides de unitate Dei, et personarum Trinitate, de Dei praescientia et praedestinatione, de angelorum et hominum creatione, de primi hominis lapsu, de Christo unico mediatore, de sacramentis et eorum effectibus, de auctoritate et infallibilitate S. Scripturae, de unitate Ecclesiae, de primatu romani Pontificis,

de animarum immortalitate et corporum resurrectione, de aeternae vitae praemiis et suppliciis, haec, inquam, aliaque id genus multa in suum decretum inseruit. At vero non omnes canones in quibus veritas aliqua enunciatur, continuo dogmatici habendi sunt; dogmaticos enim dicimus, qui catholicae fidei regulam, sive dogmata tradunt, omnesque fideles ad credendum ita obstringunt, ut haereticus sit, qui constanter firmiterque non assentiatur. Duo igitur desiderantur, ut canon dogmaticus habeatur. Primum est divina revelatio, ut nimirum quod canone docetur, in verbo Dei sive scripto, sive tradito contineatur, cum fides catholica auctoritati solius Dei innitatur. Alterum est Ecclesiae propositio, ut videlicet illud ipsum, quod canone docetur, tum Ecclesia proposuerit, tum etiam iusserit ab omnibus, et singulis fidelibus pro veritate catholica teneri. Ad rem Melchior Canus de locis theol. lib. 5, cap. 5, quaest. 4: « Summorum Pontificum, Conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiae proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum vero de fidei causa iudicium est. »

§ 9.

De notis Canonum dogmaticorum.

Veronius in regula fidei catholicae §. 2 rem eamdem exponens ita loquitur: « Duo debent coniunctim adesse, quo doctrina aliqua sit fidei catholicae: alterum ut sit revelata a Deo per Prophetas, Apostolos, seu Auctores canonicos, alterum ut sit proposita ab Ecclesia. Si utrumque ad-

sit alicui doctrinae, illa fide divina catholica est credenda: si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiae, non est fide divina catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur; quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus Sancti, qui doceat eam, ducatque in omnem veritatem, haec nunquam, stante Dei promissione, quae semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum.» Igitur ad canonem dogmaticum internoscendum, non opus est, ut inquiramus, an doctrina canonis divinitus revelata sit, sed satis, si compertum habeamus, doctrinam canonis ab Ecclesia tanquam fidei dogma propositam esse.

At vero canones quandoque de rebus fidei aliquid affirmant, aut negant, quin satis appareat, utrum ea simplex sit, aut affirmatio aut negatio, an vera dogmatis fidei propositio. Igitur necesse est aliquas regulas in promptu habere, quibus simplex affirmatio, aut negatio a certa dogmatis propositione secernere, et internoscere possimus.

Quatuor huiusmodi regulas Melchior Canus cit. loc. exhibuit, quas theologi et canonistae summa consensione amplexi sunt. Eas Canus profert hisce verbis:

« Prima, et ea quidem manifesta, si contrarium asserentes pro haereticis iudicentur. Cuius rei exempla habes cap. DAMNAMUS *de Sum. Trin.* et cap. unic. *de Sum. Trin. in 6*, et Clement. unic. de sum. Trin. §. 1.

« Altera nota est, cum in hanc formam Synodus decreta praescribit: SI QUIS HOC AUT ILLUD SENSERIT, ANATHEMA SIT: qualia permulta sunt in Concilio Toletano I., et in Synodo Tridentina.

« Tertia est, si in eos qui contradixerint, excommunicationis sententia ipso iure feratur. Exemplum est de haereticis cap. CUM CHRISTUS, et cap. AD ABOLENDAM.

« Quarta est, si quidquam aut expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei catholicae accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio, doctrinaeve Apostolorum contrarium. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto. »

§ 10.

De expositione earumdem notarum.

Sed operae pretium est easdem regulas breviter explanare. Itaque prima regula admodum perspicua est: ubi enim canones volunt eos, qui contra senserint, pro haereticis haberi, nullum dubium relinquitur, quin dogmatici censeri debeant. Profecto fieri non potest, quin canones dogmatici sint, quibus turpis haeresis nota adversus dissentientes inusta est, quandoquidem nemo potest haereticus esse, nisi qui catholico dogmati contradixerit.

Secunda et tertia regula hoc modo intelligi debent, nempe canones, in quibus anathema vel excommunicationis poena in dissentientes constituta est, tum denique dogmaticos esse, si in eis de rebus fidei agatur; quandoquidem etiam canones, qui ad fidem non pertinent, eadem excommunicationis poena, vel anathemate sanciri solent. Ita canones Concilii Romani sub Gregorio II. lati sunt in hunc modum : « Si quis commatrem spiritua-

lem duxerit in coniugio, anathema sit: si quis consobrinam suam duxerit in coniugio, anathema sit. »

Denique quarta regula eos canones spectat, in quibus etiamsi agatur de rebus fidei, nulla tamen inusta est haeresis nota, nec anathema, nec poena excommunicationis constituta adversus eos, qui dissenserint. Itaque hi canones dogmatici erunt, si talibus verbis propositi sint, quae non opinionem, sed certum exploratumque iudicium exhibeant. « Licet enim opinio Durandi, ait Melchior Canus cit. loc., reprobetur cap. GAUDEMUS DE DIVORTIIS, sed qui dixit: VERUM ABSONUM HOC VIDETUR ET INIMICUM FIDEI CHRISTIANAE, noluit haereseos illos condemnare. Verbum enim VIDETUR iudiciorum infirmat certitudinem. » Praeterea, auctore eodem Cano, etiamsi verba canonis absoluta sint, planeque et omnino quidquam affirment vel negent, adhuc tamen ipsius canonis scopus investigandus est, ut certo intelligamus, an doctrina canonis simpliciter asseratur, an etiam ceu fidei dogma proponatur. Nuda enim verba corticem canonis repraesentant; scopus autem ipsius naturam atque indolem manifestat. Igitur constitutio ecclesiastica, sive canon dogmaticus erit, si certum exploratumque sit, data opera conditum fuisse, ut amputatis dissensionibus catholica veritas doceretur, vel ut haereses obortae supremo iudicio damnarentur.

Porro autem quae in Conciliorum aut Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut obiectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinent

ad fidem, hoc est non sunt catholicae fidei iudicia. » Hactenus Melchior Canus.

Consule, si lubet, opusc., cui titulus: « Enchiridion symbolorum et definitionum, quae de rebus fidei et morum a Conciliis oecumenicis et SS. PP. emanarunt, auct. Henrico Denzinger Wirzburgi, 1856. »

§ 11.

De Canonibus morum.

Quemadmodum dogmatici canones regulam eorum statuunt, quae firmiter in rebus fidei tenenda sunt, ita canones morum ea spectant, quae humanis actibus propter se honesta sunt, vel turpia, adeoque vel agenda vel omittenda. Versantur itaque in proponendis explicandisque praeceptis naturalibus, quibus mores hominum informantur. Plures eius generis canones in Decreto Gratiani legimus, plures etiam in titulis Decretalium, quales sunt de pactis, de iureiurando, de homicidio, de adulterio, de furtis, de usuris, de iniuriis, aliisque id genus, quibus moralia praecepta illustrantur. Haec autem morum praecepta a naturali lumine profecta, per legem evangelicam integra sui perfectione et complemento donata sunt; nam Christus Iesus non venit solvere legem, sed adimplere; quamobrem Gratianus in princ. dist. 1. scribere non dubitavit, « Ius naturale in Evangelio contineri. »

At vero Ecclesia in tradendis canonibus morum errare non potest. Namque Christus pollicitus est, « Spiritum Sanctum docturum Ecclesiam omnem veritatem, » quae scilicet esset ad consequendam salutem necessaria. Atque ad eam consequendam

necessariae sunt non modo veritates fidei, sed etiam morum : igitur fieri non potest, ut Ecclesia errando id doceat, vel praescribat, quod turpe est, vel reprobet, quod honestum est.

§ 12.

De Canonibus ecclesiasticae disciplinae.

Itaque canones morum, cum quidquid iubent, bonum sit per sese, et quidquid prohibent, malum et turpe sit, perpetuo firmi stabilesque manent, eisque ab omnibus omnium ordinum et omnium temporum, atque aetatum, et locorum hominibus parendum est.

Iam dictum est et dicendum est saepius, tria esse canonum genera; alii enim sunt canones fidei, alii morum, alii denique disciplinae, quoniam potestas Petro, Apostolis, eorumque successoribus a Christo tradita haec tria complectitur, fidem, mores et disciplinam. Ergo canones qui neque ad fidem, neque ad mores pertinent, ad disciplinam pertinebunt.

At vero disciplinae canones ad puritatem fidei, honestatem morum, divinique cultus sanctitatem tuendam feruntur, quos proinde firmissimum fidei, morum, et religionis praesidium et propugnaculum iure dixeris. Namque huiusmodi canones versantur :

1° In tutela fidei et morum, quatenus gravissimas poenas constituunt in eos, qui in fide, vel moribus deliquerint. Huc pertinent censurae, aliaeque poenae ecclesiasticae adversus haereticos, simoniacos, sortilegos, homicidas, adulteros et huiusmodi.

2° In determinandis praeceptis divinis et naturalibus; dum scilicet tempus, aut modum ad ea observanda praefiniunt, quotiescumque nec modus, nec tempus in praecepto fuerit praefinitum; cuius generis sunt canones de observantia diei dominici, de confessione et communione paschali.

3° In regenda societate ecclesiastica; neque enim omnia, quae ad eam gubernandam opus erant, ius naturale, et divinum constituerunt; proindeque Antistitibus Ecclesiae tradita a Christo fuit ferendarum legum potestas. Hinc canones de electionibus, de institutionibus, de vita et honestate clericorum, de iudiciis, deque caeteris similibus.

Haec autem tria, quae indicavimus, disciplinae capita ad *disciplinam externam*, sive ad *politiam Ecclesiae* pertinere dicuntur; ea sunt enim, quibus regitur externa Ecclesiae societas, et in officio continetur.

Sed aliud est disciplinae genus, quam *disciplinam liturgicam* vocant, eaque in ordinandis religionis actibus versatur. Huius generis sunt canones de administratione Sacramentorum, de diebus festis, de publicis precibus et supplicationibus, de locis sacris et religiosis, deque sacris ritibus et caeremoniis.

Aliqui tertium addunt disciplinae genus, quam dicunt disciplinam *dogmaticam* et *dogmati adnexam*. *Dogmaticam* vocant, quae originem suam ipsi Christo acceptam refert: uti materia et forma Sacramentorum, itemque forma ecclesiastici regiminis, sive ecclesiastica hierarchia divinitus instituta. *Adnexam* vero *dogmati* appellant, quae cum dogmate ita connectitur, ut aboleri nequeat,

quin simul de veritate dogmatis detrahatur. Talis est disciplina, qua sanctissimam Eucharistiam colimus et veneramur; ea siquidem tolli nequit, sine maxima catholici dogmatis iniuria.

Verum disciplina, quae *dogmatica* dicitur, proprie ad Ius divinum pertinet, quod prorsus est immutabile; *adnexa* vero *dogmati*, firma immotaque et ipsa manere debet, sed tantum in eo, quod eius substantiam attingit; quod enim ad modum attinet, an ex. gr. unica, an trina flexione genuum Eucharistia veneranda sit, ad Ecclesiam spectat cognoscere et decernere.

Nos itaque communi canonistarum instituto inhaerentes, eam tantum iurisprudentiae ecclesiasticae partem accurate persequemur, quae regulam agendi, sive disciplinam ac mores respicit, nec de regulis fidei ex professo agemus ac disputabimus, nisi casus occurrant, quibus fides ac disciplina adeo foederatae inter se ac coniunctae sint, ut altera ab altera divelli non possit.

CAPUT II.

DE PARTIBUS IURIS CANONICI

§ 13.

De Iuris canonici partibus generatim.

In agendi regula leges omnes morum et christianae disciplinae comprehenduntur. Moralitatis autem nomine ea convenientia designatur, quam actiones humanae ad legis divinae et naturalis normam servare debent. Hinc cum dicimus ius canonicum ad mores pertinere, praecepta naturalia significamus, quae a iure canonico proponuntur, et explicantur. Sed cum istae leges morum et christianis, et iis qui extra Ecclesiam sunt, communes sint, atque adeo omnes homines teneant, sunt praeterea disciplinae leges, quae eorum propriae sunt, qui Ecclesiae gremio continentur. Huiusmodi vero leges ad cultum Deo praestandum, ad Sacramentorum, rerumque sacrarum, et temporalium quoque bonorum Ecclesiae administrationem, ad caeremonias, ad clerum, et ad regimen ecclesiasticum praecipue ordinantur.

Re enim vera cum Christus Dominus Ecclesiam instituerit, coetum nempe hominum, qui illum sanctiori cultu colerent, leges etiam perscriptas fuisse oportuit, quibus haec religio et disciplina christianorum constitueretur, et praecipuas quidem christianae disciplinae leges Christus ipsemet tulit, multas vero apostoli, et caeteras Summi Pontifices, Sacra Concilia et Ss. Patres condiderunt.

Quocirca, cum clar. Bartoli, quatuor partibus ius canonicum constare dicimus, primo praeceptis naturalibus sive moralibus; deinde praeceptis divinis positivis, tum apostolicis institutis, demum ecclesiasticis constitutionibus, de quibus singulis videndum est.

§ 14.

De praeceptis naturalibus sive moralibus.

« Nemo dubitat, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum a malo, honestum a turpi, iustum ab iniusto possit secernere; » ait Catechism. Rom. de decret. observ. Haec autem naturae lex est, sive ius naturale, quam legem auctor Deus humanis mentibus impressit, consignavitque, perque rationis lumen quid agendum quidve fugiendum sit manifestat, atque promulgat, eique legi universum genus hominum perpetuo parere voluit. « Lex, ait s. Ambrosius §. 9 ep. 7, non inscribitur, sed innascitur, non aliquid praecipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur. » Quare Apost. ad Rom. II, 14 ait: « Gentes quae legem non habent (nempe mosaicam et evangelicam) naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. »

Iam vero stirps omnis iuris, inquit Tullius, natura est, cum lex naturalis omnium legum radix sit atque origo, vel saltem directio et regula, quoniam ipsa, ut docet Augustinus lib. 2 quaest. LXVII in Ex., « lex Dei superna est, quam consulunt piae mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent. » et iuxta leg. ff. de Inst.

et Iure, « nullius momenti est, quidquid contra eamdem fuerit attentatum. »

Magna itaque, eaque praecipua Iuris canonici pars ex naturali lege effecta est, vel certe dimanavit. Siquidem innumera prope sunt apud Gratianum capita, quibus naturalia praecepta exponuntur, eorumque urgetur observantia. Talem praeterea licet videre in iis decretalium titulis, qui ad praecepta moralia pertinent, quales sunt tituli: De pactis — de iureiurando — de homicidio — de adulteriis — de furto — de usuris — de iniuriis, aliique permulti. Quemadmodum etiam ex naturali lege desumptae sunt haud paucae iuris canonici regulae, et generatim quotiescumque ius positivum deficit, vel non satis apertum est, omnis quaestio secundum naturalis iuris praecepta definitur; sicut prae ceteris videri potest in iis praecipue decretalium titulis, in quibus de singulis contractibus agitur, quandoquidem eum, quem principia rationis in speculativis usum obtinent, eumdem praecepta iuris naturae in agendis habere dignoscimus.

Haec vero praecepta illud singulare habent, quod omnes homines, nullo prorsus discrimine facto, ad eorum observantiam obligent, tum privatos, tum principes summos, gentesque omnes et civitates; quoniam ait Apostolus ad Rom. I, 32: « Qui talia agunt (contra legem naturalem) digni sunt morte: » et c. II, 1: « Quicumque sine lege (scripta) peccaverint, sine lege peribunt » propter peccata scilicet contra legem naturalem perpetrata. Revera iuris naturalis auctor est Deus, qui universum genus humanum iisdem legibus subiectum esse voluit, ideoque penes omnes ipsius iuris sancta et

inviolata auctoritas esse debet. Vehementer itaque errant pseudopolitici plurimi, qui maiores societates, veluti respublicas et supremos principes, ac in primis belligerantes, iuris naturae legibus solutos putant, atque omnia, quae utilia sunt eisdem permissa esse arbitrantur, usurpantes effatum Euphemii apud Thucididem: « Regi, aut civitati imperium habenti, nihil iniustum, quod utile: » et illud Marii apud Plutarchum: « Leges obstrepentibus armis exaudiri non posse; » et demum « iura, legesque inter arma silere. » Cum enim principes subsint Deo, qui Rex est regum et Dominus dominantium, subsunt etiam naturali legi, quae a Deo est; et si Deus non dedisset eis legem, defuisset eius providentia, ubi maior necessitas aderat; tanto enim maior necessitas est, ut imperantes ac belligerantes legibus coërceantur, quanto potestate, qua pollent, ad damnum et exitium humano generi inferendum sunt validiores. Hinc argumento l. fin .ff. de Iurisp. recte concluditur, deficiente iure gentium, lites inter summos principes ex iure naturali definiendas esse. Si tamen principes intra Ecclesiae gremium aliquando recepti fuerint, illius quoque legibus subiiciuntur.

Altera porro eaque praecipua legis naturalis proprietas atque dos est, quod sit omnino immutabilis, « neque enim ulla vis, ut inquit s. Augustinus l. 1 de lib. arb. c. 6, n. 15, ullus casus, ulla rerum labes umquam effecerit, ut iustum non sit, omnia esse ordinatissima. » Sequitur inde, ut lex naturalis epicheiam stricte acceptam, quae in aliquo particulari casu, ubi lex deficit, verae ipsius legis emendatio et correctio est, nulla ratione patiatur. Sane in humanis legibus epicheia locum

habet, quandoquidem legislator humanus haud valet omnes praevidere casus, in quibus nociva vel inutilis futura sit suae legis observantia. Sed huiusmodi ratio in naturalem legem cadere nequit, cum clam divina sapientia nullus queat esse casus, in quo lex naturae aut non possit, aut observari non debeat. Haec autem intelligenda sunt de primis iuris naturae praeceptis. Bifariam namque, ut docet Ben. XIV. de Syn. dioec. lib. 13, c. 21, ac in duo veluti genera naturae praecepta distinguuntur, et eorum quidem aliqua sunt, tamquam primigenia aliorum principia, alia vero veluti consequentia, quae ex primis illis oriuntur. Prima illa invariabilem quamdam rectitudinis regulam in se continent, quae nullius mutationis aut dispensationis est capax, ut praeceptum amandi Deum, abstinendi a mendacio, aliaque divinae legis capita, quae in decalogo exponuntur. Posteriora vero regulam pariter continent rectitudinis, ita tamen, ut circumstantiis rerum et personarum mutatis, et ipsa mutari possint, mediante dispensatione, quae tamen a sola potest auctoritate divina procedere.

Itaque summus Pontifex, divina auctoritate, praeditus relaxat vota, iuramenta remittit, matrimonium ratum dissolvit, aliaque huiusmodi, quae ad secundam naturalium praeceptorum classem referuntur, per dispensationem dirimit, quandoquidem, ut inquit Innoc. III. cap. *Quaerite* de translat. Episc., non homo, sed Deus id solvit, quod Romanus Pontifex (qui non veri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) non humana, sed divina potius auctoritate dissolvit.

Re quidem vera, sicut apposite animadvertit Ca-

nus, « quod Dominus Petro dixit, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis, quousque et quatenus vel amplificandum esset, vel constringendum, id ab Apostolis Ecclesiam accepisse consentaneum, qui eiusmodi res ad Ecclesiae gubernationem necessarias sine dubio tradiderunt. Cum itaque Ecclesia communi fidelium consensione talem potestatem nullo non tempore exercuerit, consequens fit eam ex Christi et Apostolorum instituto descendisse. Non enim credi potest, Ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter usurpasse in iis, quae ad ius naturae pertinent, nisi quam Christo et Apostolis tradentibus, accepisset. » Iam vero hic error esset gravis in moribus, in quibus Ecclesiam errare non posse, suo loco ostendemus. Hinc Veracrux apud Ben. XIV. de Syn. l. 7, c. 7: « De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est. » Esset enim tamquam Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset.

Tandem, praeter dispensationem mox explicatam, lex naturalis in ipsis secundariis principiis simplicem quamdam recipit interpretationem, quae locum habet, ubi in peculiaribus casibus iura inter se invicem pugnare videntur; non quod ullam pugnam, seu collisionem aut conflictum, ut vocant, iurium reapse admiserim, sed quia urgente potiori iure ius aliud silere recte interpretamur. Ita potiori iure homo tenetur servare patriam, quam depositum reddere petenti. Hinc non tenetur in hac circumstantia depositum reddere contra patriam. Ad dignoscendam autem praeceptorum potioritatem haec ferme regula prae oculis habenda est, scilicet praecepta, quae respiciunt

Deum potiora esse iis, quae respiciunt nosmetipsos, haec vero potiora esse iis, quae respiciunt alios homines, ita tamen ut bonum publicum iugiter privato anteponatur. Vide Pacetti in opere *Institutiones ethicae*, Romae 1865.

Tertia legis naturalis proprietas est, ut illa evidens omnibus sit ac manifesta. Verum non omnia huius Iuris praecepta sunt, eadem evidentia, homini comperta et explorata. Prima quidem, et generalia principia confestim percipiuntur, veluti « Bonum est faciendum, malum est fugiendum — Deus est colendus. — Quod tibi non vis fieri, alteri non est faciendum. » Sunt etiam quaedam praecepta, quae facili et perspicua argumentatione ex primis principiis eliciuntur, et quasi naturaliter fluunt, qualia sunt Decalogi praecepta.

Sed multa sunt moralia praecepta a primis principiis valde remota, quorum cognitio ardua prorsus est et difficillima. Quapropter homo, qui solam rationem ducem sequitur, non modo in conclusionibus remotis, sed etiam in proximioribus saepe fallitur, propterea quod humanae rationis lumen ex primi hominis labe non illud quidem deletum est, sed tenebris adeo circumfusum, ut mens facillime in errores turpissimos labatur. Huius rei testes sunt universi gentiles philosophi, qui etsi ingenio et studio plurimum valerent, gravissime tamen in multis erraverunt, quae ad Ius naturae pertinebant. Neque feliciores exstiterunt recentiores philosophi, qui, sola ratione duce, se sapere et intelligere plus quam caeteros arbitrati sunt, ii scilicet philosophiam moralem tot perfuderunt erroribus pravisque opinionibus, ut fundamenta morum, ipsiusque societatis humanae labefactarent.

Nulla igitur acies humanae mentis tanta est, quae omnia praecepta morum perspicere possit, nisi divinum revelationis lumen accedat; proindeque necesse omnino est revelationem, coelestem hanc vitae ducem et officiorum magistram, sequi, sine qua homo nunquam poterit ad veram Iuris naturalis intelligentiam pervenire.

Ad rem faciunt quae Pius Papa IX in alloc. 9 decemb. 1854 habet. « Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino iustitiae, atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis periculis, atque in tanta virium infirmitate ne labatur et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae, et gratiae coelestis auxilia? quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitet, cum scriptum sit: « Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefaeta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus huius seculi, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et praestare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt. »

§ 15.

De usu et auctoritate Iuris naturalis in Iurisprudentia canonica.

Duo in usu iuris naturalis errores vitandi sunt; alter eorum est, qui argumenta iuris naturalis ab ecclesiastica iurisprudentia ita removent, ac si utraque disciplina sibi esset adversa: alter eorum est, qui plus aequo rationi tribuunt, dum omnia indiscriminatim ex naturali iure definiunt. In primo errore illi versati sunt, qui in pactis et obligationibus interpretandis, in hominum officiis ex-

ponendis, in explicandis legibus, quae a iure naturali depromptae sunt, nullam eiusdem iuris naturalis rationem habuerunt. In alterum errorem, et eum quidem perniciosissimum delapsi sunt in primis Protestantes, qui in iurisprudentia canonica universa primum, et potissimum locum iuri naturali tribuerunt, eo sane consilio, ut sacrum Ecclesiae regimen et hierarchiam omnino destruerent. Igitur haec vitia declinabimus, si regulas sequentes adhibeamus.

Prima est: « In iure ecclesiastico, ubi de statu, seu constitutione, et potestate Ecclesiae quaestio est, nullus est usus iuris naturalis, sed iuris divini positivi. » Debuit sane Deus ordinem aliquem, ac propterea regimen in Ecclesia instituere, quandoquidem quae a Deo sunt, ordinata sunt: qualem autem regiminis formam instituerit, cum ea res ex divina voluntate pendeat, non ex principiis iuris naturalis definienda est, sed ex Litteris sacris et Traditione; quibus ex fontibus, quid Deus voluerit et constituerit, intelligitur. Ad rem Endres in dissert. de necessario iurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu et usu cap. 3, §. 7. inquit; « Incaute dicam, et inepte prorsus agere ii omnes deprehenduntur, qui, an constitutum sit in Ecclesia a Christo eiusdem Conditore quoddam regimen, et cui, aut quibus id commissum sit, ex solo iure naturali et recta ratione deducere, indeque unice vel ius circa sacra Regibus, atque Principibus adscribere, vel certam quamdam regiminis, si quod constitutum a Deo cum catholicis admittunt, formam praescribere conantur. Sicuti regimen ipsum, ac potestas ex solo arbitratu divino pendebat; ita idem quoque dicendum de forma eius-

dem regiminis, quae itidem nec iuri naturali subiecta, nec alia esse potuit, quam, qualem illam Christus supremus Ecclesiae et regiminis eiusdem conditor esse voluit.»

Secunda est: « Posita natura et fine, ex. gr. alicuius Ordinis hierarchici, recte possumus vim potestatis eidem Ordini convenientem ex ratione et iure naturali inferre. » Ita cum certum sit primatum Summi Pontificis institutum esse servandae unitatis causa, iure riteque infertur, omnem eam potestatem ex Christi institutione, et iure divino Pontifici tributam fuisse, qua ad unitatem efficaciter conservandam opus erat, quia Deus, qui nec impotens, nec improvidus est, dum finem voluit, media quoque contulit obtinendo fini idonea.

Tertia est: « In omnibus iis, quae ad praecepta morum, et iustitiam naturalem pertinent, si leges positivae deficiant, ius naturale erit lex, ad quam iudicia et negotia dirigenda erunt. » Itaque argumento leg. fin. ff. de Iurisdict. recte concluditur, « deficiente iure gentium, lites inter principes summos ex naturali iure definiendas esse. »

Quarta est: « Cum Ecclesia nihil possit in divinis, et naturalibus legibus derogare, immutare, dispensare; cognitio iuris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum, quae leges sint naturales et proinde immutabiles; quae vero positivae adeoque derogationi, immutationi, et dispensationi obnoxiae. » Hinc Antonius Schmidt Institut. Iuris Eccl. part. 1, cap. 7: « Atque, inquit, hoc ipsum est, cur intersit quam maxime nosse, an ex ipso iure naturae descendant, an sola auctoritate ecclesiastica. » Huc spectat can. 2, dist. 14, in quo haec leguntur: « Sicut quaedam sunt, quae

aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.»

Denique ius naturae maxime valet ad legum aequitatem demonstrandam, atque ad easdem leges rite recteque interpretandas.

Qui verae solidaeque Iuris naturalis doctrinae cupidus est, is auctores et magistros habeat Iacobum Zallinger in *Institutionibus Iuris naturae privati et publici*, et in primis Ignatium Schwarz in *Institutionibus Iuris publici universi naturae et gentium*, nec non opera de hoc argumento edita a clar. viris Pacetti, Solimani, Ubachs, Liberatore, Audisio, aliisque.

§ 16.

De praeceptis divinis positivis.

Praecepta positiva divina, quae etiam *arbitraria* dicuntur, quandoquidem a libera Dei voluntate et arbitrio pendent, duplicis generis sunt; nam vel ad fidem pertinent, vel ad sacramenta. Excepto hoc duplici praeceptorum genere, reliqua praecepta , quae Christus redemptor et legislator Ecclesiae suae tradidit, ad mores pertinent, quae cum sint iuris naturalis, immutabilia sunt, neque egebant institutione, sed explicatione.

Cum porro ius naturale, quoad secundaria principia, hominis malignitate et ignorantia deficere possit, et errori esse obnoxium, hinc ne sancta naturae monita, morumque praeceptiones ab ipso rationis lumine profectae in oblivionem abirent, ea fecit Salvatoris nostri benignitas, ut quae primum Moysi dederat Deus in lapideis tabulis praecepta decalogi, quae naturalis iuris quaedam complexio sunt, eadem postmodum in evangelica lege Christus non illustraverit modo, confirmaveritque,

sed integra eorum perfectione, ac quodammodo complemento donaverit, secundum illud ipsius Christi Matth. V, 17: « Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere legem, sed adimplere. » Recte igitur Gratianus in principio dist. 1, Ius naturale appellavit illud *quod in lege et evangelio continetur*.

Sed ut ad divina praecepta positiva redeamus, primum est de fide, quod singulos homines obligat, cum non credenti absque exceptione ulla damnationis poena decreta sit, ut patet ex illo Marci XVI, 16: « Qui non crediderit, condemnabitur. » Hinc Decret. l. 1, habemus titulum de summa Trinitate, et fide catholica, deque eadem materia agitur etiam in sexto, et in Clem. eod. tit.; itemque in decreto Gratiani dist. 22 per totum, et alibi. Neque huiusmodi praecepto fit satis, si fidem corde tantum teneamus, sed eamdem etiam exterius profiteri necesse est, aliquando iure divino, aliquando etiam iure ecclesiastico. Iure quidem divino, quando vel honor Dei et religionis catholicae, vel salus proximi professionem hanc exigit; iure autem ecclesiastico, vi nimirum Conc. Trid., promoti ad Episcopatus, et provisi de quibusdam beneficiis, ut suo loco videbimus.

Reliqua vero positiva praecepta, quae Christus in evangelio proposuit, pertinent ad sacramenta, quandoquidem, veteri sacerdotio sublato, novoque ab eo instituto, oportuit, ut nova etiam praecepta de sacramentis, sacrisque ministris sancirentur. In eis est illud de baptismo Ioan. III, 3: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest videre regnum Dei, » de quo apud Gratianum de cons. dist. 4, et in l. 3 de Baptismo. Aliud si-

mile praeceptum est de confessionis faciendae necessitate, eiusque ministro Ioan. XX, 23, quod exhibetur apud eumdem Gratianum de Poenit. dist. 1. Haec autem et alia huiusmodi praecepta, quae Christus in evangelio proposuit, et ab omnibus servanda mandavit, ut propria sunt legis novae praecepta, ita firma semper et immutabilia manere debent, atque adeo Ecclesia ab eorum vinculo fideles eximere non potest, nec illa contraria aliqua consuetudine abolere. Cuius rei rationem affert Melchior Canus, quod nempe legis auctor evangelicae Christus Dominus non alia praecepta per se ipse dedit, quam quae essent summopere ad salutem necessaria. In his igitur Ecclesia nil habet potestatis.

§ 17.

De Apostolicis institutis.

Cum Apostoli nunciandi evangelii atque Ecclesiae instituendae causa in mundum missi fuerint, non solum docuerunt homines officia religionis, et servare omnia quaecumque Christus mandaverat eis, sed pro potestate ab ipso Christo accepta, crearunt Episcopos et Presbyteros, ecclesias fundarunt, et regulas tradiderunt, quas ad rectam rei christianae administrationem necessarias iudicarunt. Unum quidem in Ecclesia caput, centrumque unitatis, sed plures etiam sub eo capite et centro rectores esse oportebat, cum Ecclesia, sua universitate innumeras pene gentes locis dissitas, maximeque diversas lingua, moribus, institutis esset complexura, adeo ut unus tantum hanc multitudinem per se ipsum moderari haud potuisset.

Quas itaque Apostoli tradiderunt Ecclesiasticae disciplinae regulas, hae sunt, quas apostolica instituta nominamus, ex iisque maximam ecclesiasticae iurisprudentiae partem aut expressam aut certe adumbratam habemus.

Non omnia tamen praecepta quae Apostoli aut voce tradiderunt, aut in eorum scriptis reperiuntur, eiusdem generis sunt. Siquidem ex iisdem praeceptis aliqua, ut Christi praecones, et nomine Christi loquentes a Christo Apostoli acceperunt, et fidelibus servanda reliquerunt, quae ab aliquibus iuris canonici interpretibus divino-apostolica nuncupantur. Ita S. Innocentius I in epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum divina de sacramentis Confirmationis et extremae Unctionis praecepta ex Apostolorum scriptis hausisse se scribit. Aliqua vero constituerunt Apostoli ipsi tamquam Ecclesiae pastores, quae quidem mere apostolica nominantur; cuiusmodi est praeceptum de non ordinando Episcopo, qui bigamus fuerit, de non recipienda accusatione adversus Presbyterum, nisi sub duobus, aut tribus testibus, et similia.

Haec praeceptorum divisio significata est a divo Paulo I. Corinth. VII, 10 dum ait: « Praecipio non ego, sed Dominus » et ver. 12: « Ego dico, non Dominus. » Priori loco tradit, quod a Christo acceperat, posteriori autem, quod magis congruum ipse iudicat.

Maximum autem intercedit discrimen inter praecepta primi, ac secundi generis. Praecepta enim primi generis, ut quae vera et proprie divina sunt, Ecclesia nec solvere, nec remittere ulli potest, sicut superiori §. 16 de praeceptis divinis agentes admonuimus. At secundi generis praecepta

proprie quidem humana et ecclesiastica fuerunt, quae videlicet ab Apostolis Ecclesias gubernantibus edita sunt, neque aliter, atque alia fuerunt postea a praefectis Ecclesiae subsequentibus, dispari tamen auctoritate; nam Apostolorum nemo in praeceptis suis errare poterat, sed a Spiritu sancto suggerente, peculiarissime eorum quisque dirigebatur in ferendis Ecclesiae legibus. Posteriores vero antistites hanc peculiarem Spiritus Sancti praesentiam non habent, nisi Pontifex Summus, dum ex cathedra loquitur, et reliqui Episcopi in Conciliis Generalibus, cum in nomine Christi et Ecclesiae congregantur. In his itaque praeceptis, licet apostolica fuerint, et in sacris etiam litteris scripta, cum tamen proprie humana et ecclesiastica sint, Summus Pontifex poterit, ut in caeteris Ecclesiae legibus dispensare, poteritque item contrarius populi mos instituta huius generis abrogare. Ea autem immutare aut relaxare, nisi Summo Pontifici permissum in Ecclesia est; nam Episcopi huiusmodi potestate omnino carent.

Ut vero divina praecepta ab apostolicis recte discernere quis valeat, has regulas prae oculis habeat. 1ª est quando Apostoli aliquid tradunt ad fidem pertinens, id procul dubio ad divina praecepta referendum est, cum omnis fides solius Dei revelatione nitatur. 2ª est, inter divina etiam praecepta recensenda sunt ea omnia, quae Apostoli tradiderunt circa sacramentorum materiam atque formam, cum certum sit sacramentorum essentiam non potuisse nisi a Christo institui. Et propterea Apostolus I. Cor. XI, 23 loquens de sacramento Eucharistiae dicebat: « Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis. » 3ª regula, eademque et

mollior et tritior est, quando Patres et Theologi communiter aliquid institutum uno ore testantur Apostolos a Christo accepisse, certum argumentum est, ut ita esse credamus; quod si Ecclesiae auctoritas accesserit, haec tanta est, ut nunquam possit aberrare.

Cavendum tamen est, ne quisquam apostolica instituta aut a libris, qui apostolicarum constitutionum nomine vulgati sunt, aut ab ea collectione canonum, qui apostolicorum vulgo dicuntur, petere velit, propterea quod monumenta huiusmodi non satis tuta explorataque ab omnibus habentur, quemadmodum ostendemus duabus, quae sequentur, paragraphis.

§ 18.

De Constitutionibus apostolicis.

Constitutiones apostolicae octo libris continentur, atque ita inscribuntur « Constitutiones SS. Apostolorum, auctore Clemente Episcopo. » Iam vero Canonistae in quaestionem vocare solent, an *Constitutiones apostolicae* Apostolis ipsis tribuendae sint, atque adeo an aliquis Codex canonum primis Ecclesiae saeculis extiterit? De his nonnihil dicendum est. In his Constitutionibus multa sunt, quae Apostolorum doctrinae adversantur. Nam de Filii et Spiritus sancti divinitate male sentiunt, quartas et ulteriores nuptias condemnant; ancillis permittunt, ut libidini dominorum infidelium pareant, baptismum ab haereticis collatum iterari iubent, atque alia id genus proferunt, praeter errores bene multos cum historicos, tum chronologicos,

quos silentio praetermittimus. Igitur Constitutiones huiusmodi, quae ad nos pervenerunt, nec Apostolis, nec S. Clementi Romano adscribi possunt.

Veruntamen de ipsarum origine et fatis res parum comperta est. S. Epiphanius, qui floruit quarto exeunte saeculo, Apostolicas Constitutiones citat commendatque: « Qui liber, ut ipse scribit haeresi 70 contra Audianos, tametsi dubiae apud multos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo, quae ad Ecclesiae disciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiae administrationi ac decretis contrarium continent. » Duo itaque ex hoc Epiphanii loco colliguntur. Primum est: S. Epiphanii aetate librum aliquem nomine Constitutionum Apostolicarum extitisse, in quo nihil a fide catholica, aut ab Ecclesiae disciplina alienum inveniebatur. Alterum est: huiusmodi Constitutiones aut iniuria temporum periisse, aut eas, quas habemus, diversas ab iis esse, et ex integro confectas, aut saltem si unae et eaedem sunt, atque illae quarum testimonia S. Epiphanius refert, post ipsius Epiphanii tempora ab haereticis corruptas interpolatasque fuisse, quod cognoscimus etiam ex locis ab eodem Epiphanio laudatis, qui aut in illis Constitutionibus non exstant, aut aliam sententiam exhibent. Quod vero attinet ad auctorem, ac tempus, quo primum prodierint, non una est eruditorum sententia. Probabilius sentire videntur, qui has Constitutiones III aut IV saeculo vulgatas fuisse existimant, eo quod Patres priorum saeculorum, et in primis S. Iustinus martyr, S. Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus,

Origenes, aliique hisce Constitutionibus, data licet occasione, nunquam usi sunt, usuri certe, si exstitissent; nisi forte dicere velimus illarum nunquam meminisse, quia apocryphae habebantur. At quaecumque fuerit huiusmodi silentii causa, illud continuo sequitur, minime audiendos esse, qui Apostolos, aut S. Clementem eorumdem auctores praedicaverunt. Haec enucleanda putavimus, ut manifestum sit, nullam certam exploratamque auctoritatem his Constitutionibus tribuendam esse, nihilque ex eis erui posse, quo regula ecclesiasticae disciplinae ab Apostolis tradita confirmetur aut illustretur.

Vide, praeter alios, Biner, Apparatus Iuris canonici p. 2, c. 4, Ioann. Guill. Ianum in dissertatione de antiq. Can. apostol., et Krabbe Ueber den Ursprung, und den Inhalt des apostolischen Constitutionen und des Clemens Romanus. Hamb. 1829.

§ 19.

De Canonibus apostolorum.

Postremo capiti libri octavi Apostolicarum Constitutionum collectio quaedam canonum subiicitur, qui Apostolorum vulgo dicuntur, eaque collectio ab eodem S. Clemente facta fuisse perhibetur. De hisce vero canonibus rectum iudicium proferre difficilius sane est, cum sententias invicem pugnantes offendamus. Eos canones *Apostolicos* vocant Constantinus Imperator, Synodus Constantinopolitana sub Nectario, Concilium Ephesinum, Theodosius et Iustinianus, quod observat de Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. 3, cap. 2. Sed omnium maxime S. Ioannes Damascenus lib.

4 de fide orth. cap. 17, non dubitavit canones Apostolicos, tanquam ab Apostolis constitutos, in Sacrarum Scripturarum canonem referre; namque ita scribit: « Iam vero novi Testamenti libri isti sunt. Quatuor Evangelia.... Canones denique Sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati. » Inter recentiores autem Turrianus auctor e Soc. Iesu, singulari libro adversus Magdeburgenses Centuriatores, canones eos omnes pro veris et genuinis tuetur, eisdemque Apostolicam auctoritatem tum permultis testimoniis veterum conciliorum, et SS. Pontificum, tum rationibus et argumentis vindicare conatur.

Contra vero plures eruditione et doctrina praestantes viri sentiunt, eam collectionem neque Apostolis, neque S. Clementi adscribi posse: quod tribus maxime argumentis comprobatur. Primum est, tum quia Eusebius Caesariensis, S. Hieronymus, et caeteri, qui in conservanda ecclesiasticorum scriptorum memoria diligentissime versati sunt, nullam eorum canonum mentionem faciant, tum quia nec Victor Pontifex in controversia de Paschate celebrando, nec S. Cyprianus in controversia de Baptismate haereticorum his canonibus uspiam usi sint: eos autem, si Apostolorum fuissent, nec poterant ignorare, nec in medium proferre omisissent, quandoquidem illa controversiarum capita perspicue dilucideque eisdem canonibus explicata definitaque reperiebantur. Secundum est, quod multa in iis sint, quae cum aetate Apostolorum componi nulla ratione possunt. In iis enim canonibus mentio est de Cantoribus, Lectoribus, de annuis Conciliis Metropolitanis, de divisione Parochiarum, de bonorum Ecclesiae a

bonis Episcopi distinctione, deque aliis id genus, quae certe Apostolorum, ac S. Clementis aetate recentiora sunt. Tertium denique et potissimum argumentum est, quod habeant quaedam tum Apostolorum disciplinae, tum catholicae doctrinae omnino contraria. Nam (ut aliqua memorem) Apostolicae doctrinae repugnant canon 17, quo ille duntaxat bigamus dicitur, qui post baptismum duas uxores duxerit; et canon 66, qui clericum sabbato ieiunantem deponi, laicum vero praecipit excommunicari. Doctrinam vero a veritate catholica alienam tradunt canones 46 et 47, in quibus baptisma ab haereticis collatum plane reiicitur irritumque declaratur; itemque canon 74, quo libri Sapientiae, Tobiae et Iudith a canone divinarum Scripturarum vel expunguntur, vel omittuntur.

§ 20.

De Canonum apostolorum origine, numero atque usu.

Itaque cum huiusmodi canones *Apostolici* aut dici, aut haberi saltem singuli non possint, duo modo quaerenda sunt: 1° quis eorum auctor exstiterit? 2° an et quinam ex iisdem canonibus auctoritatem in Ecclesia obtinuerint? Iam vero quod ad originem spectat, « Difficile est, ait De Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. III, cap. 2, in tam alto veterum scriptorum silentio tempus huius collectionis indagare, quam tamen certum est Concilii Nicaeni tempora antecessisse. » Eruditi consentiunt disciplinae antiquissimae lineamenta

his canonibus contineri. Ex his itaque perspectum exploratumque est non novae disciplinae genus esse ordinationes Episcoporum, Presbyterorum et aliorum Clericorum, non novum esse dogma de oblatione et sacrificio Missae, de discrimine inter Clericos et Laicos, de potestate Episcopi in Clerum, de cura rerum ecclesiasticarum ab eodem Episcopo gerenda, de excommunicatione et de aliis id genus plurimis, quae tanquam omnino nova ab aliquibus haereticis improbantur. Dallaeus, calvinianus homo, cum probe intelligeret quantum horum canonum antiquitas Calvinianorum causae obesset, eos quinto adulto saeculo in lucem prodiisse, atque a graeco eoque haeretico homine confictos fuisse contendit. Sed Dallaei opinio a Guillelmo Beveregio refutata est, qui eos canones aut labente secundo Ecclesiae saeculo, aut tertio ineunte conditos fuisse apertissime demonstravit. Hodie igitur omnibus persuasum est, canones Apostolicos partim ex sanctissimis regulis, quas Apostoli Ecclesiis tradiderunt, partim ex consuetudine Ecclesiarum, partim ex decretis Synodorum, quae primis saeculis in Oriente celebratae fuerunt, conflatos esse. Cui quidem sententiae valde favet diversa ipsorum canonum partitio, cum modo plures, et modo pauciores, alibi 30, alibi demum 85 apud Collectores antiquos inveniantur. Id enim manifeste demonstrat eam collectionem totam simul uno auctore confectam non esse, sed plures diversis tum temporibus, tum locis additiones accepisse. Fratres Ballerini in tom. III, oper. s. Leonis de Collect. canon. part. I, cap. 1, haec habent: « Certum est nullum corpus sine statis legibus regi atque consistere unquam pos-

se. Hinc Apostolos regendae Ecclesiae certas regulas, seu canones praefixisse dubitari nequit. Has autem regulas, quas illi verbo tradiderunt Ecclesiis subinde scripto fuisse collectas, et Canonum Apostolorum titulo praenotatas satis credibile est. Neque propterea credimus, omnia quae in ipsis canonibus continentur, Apostolis referenda. Solent quippe huiusmodi opera, ut scite animadvertit P. Constantius, licet variis incrementis augeantur, eius nomen in epigraphe retinere, quo primum auctore coepta, et constituta fuerunt.»

Verum de numero et auctoritate istorum canonum maxima latinam inter et graecam Ecclesiam discrepantia sententiarum est. Nam Ecclesia graeca, saltem post Trullanam Synodum, canones 85 omnes et integros accepit; eosque tanquam ab Apostolis editos eximia quadam veneratione coluisse compertum est. Latina autem Ecclesia 30 priores canones tantum recepit, eosque in causis iudicandis adhibuit, ita tamen, nihil ut de eorum origine decerneret.

Angelus Maius vir Cardinalis, qui maximo etiam reipublicae litterariae moerore supremum diem obiit die 8 septembris an. 1854, hisce canonibus magnam esse adhibendam auctoritatem asserit opere, cui titulus: « Veterum Scriptorum nova collectio » t. 1, 272. Consule etiam Regenbrecht de Canonib. Apostol., et Cod. Hispano, Wratisl. 1828, nec non Bruns Canones Apost. etc. Berol. 1837.

§ 21.

De Constitutionibus ecclesiasticis.

Leges quae a Conciliis generalibus, vel a Summo Pontifice pro universa Ecclesia conduntur, *Constitutiones ecclesiasticae* appellantur, ob eam forte causam, quod imperiosum legis vocabulum alienum a sua modestia Ecclesia existimaverit, quod Vincentio Gravina placuisse video.

Constitutionum vero ecclesiasticarum aliae auctoritate dumtaxat, aliae auctoritate et origine ecclesiasticae sunt. Prioris generis illae sunt, quae a iure naturali, aut divino proficiscuntur, Ecclesia vero auctoritate sua vel proposuit, vel explicavit. Ita Constitutiones de rebus fidei et morum, leges de simonia, de vita et honestate clericorum, et caeterae huiusmodi, etsi Ecclesiasticae nominantur, quandoquidem ab ecclesiastica auctoritate propositae, et addita etiam poena, sancitae fuerint, nihilo tamen secius, cum ad ius naturale et divinum earum origo referenda sit, non origine, sed auctoritate tantum ecclesiasticae sunt. Quas vero leges potestas ecclesiastica omnino sanxit, quaeque nullae essent, nisi eas Ecclesia sanxisset, quales sunt praesertim quae disciplinam, et ritus exteriores respiciunt, et pleraeque de ordine iudiciario scriptae, quibus liber secundus decretalium constat, auctoritate et origine etiam ecclesiasticae sunt, et meras ecclesiasticas appellare possumus.

Et haec quidem ecclesiasticarum legum distinctio non utilis modo, sed necessaria quoque est ad

multarum rerum intelligentiam, quae ad canonicam disciplinam pertinent. Ex ea enim consequitur: 1° leges quasdam ecclesiasticas esse, quae nullam mutationem unquam habiturae sint, quia cum ius divinum et naturale immutabile sit, ipsas quoque leges quatenus ab alterutro iure promanant, stabiles immutabilesque esse oportet, neque aliis legibus abrogari possunt; et praeterea quae constitutiones proponunt definitiones fidei et morum, non solum exteriori obedientia et obsequio, sed interiori etiam mentis assensu accipiendae sunt, non secus ac si ipsius Christi ore prolatae fuissent; 2° Constitutiones ecclesiasticas, quae ab iisdem iuribus proficiscuntur, quaeque auctoritate dumtaxat ecclesiasticae sunt, unusquisque observare tenetur, quamvis poenae remissionem fieri, aut aliud aliquid, ab Ecclesiae potestate additum, immutari aut tolli contigerit. Etenim, sublata poena, aut iure positivo, quod ab Ecclesia adiectum fuerat, ius tamen divinum seu naturale semper manet. 3° Tandem nulla consuetudo contra huiusmodi leges induci potest. Quamvis enim a multis frequenter usurparentur actus adversus istas leges, numquam tamen ex illarum legum frequenti violatione induceretur consuetudo aliqua iuris, ut quod leges illae facere vetant, id aliquando facere liceret. Hinc reprobatur consuetudo accipiendi pretium pro ministerio spirituali (c. 9 de iure provocandi ad duellum) exhibendi spectacula ludicra in templis (c. 12 de vita et honestate clericorum), et caetera, quae sunt huiusmodi. Neque iis in rebus tolerantia Ecclesiae excusat, quam tristis aliquando extorquet necessitas (cap. fin. dist. 4); neque nulla, aut levior legis transgressio

existimanda est, quod a multis crebro violatur, nam ut scribit S. Aug. l. 3 Confess. cap. 8: «Flagitia, quae sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, quae si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu, divina lege, tenerentur.»

Sed quemadmodum ecclesiasticae leges, quae a iure naturali vel divino proficiscuntur, stabiles atque immutabiles sunt, ita contra quae ad genus alterum spectant, hoc est quae auctoritate et origine ecclesiasticae sunt, atque propterea a potestate ecclesiastica omnino pendent, mutationi obnoxias esse perspicuum est. Scite admodum S. Leo M. in epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum utrumque hoc genus ecclesiasticarum constitutionum, quantum ad mutationem, vel stabilitatem pertinet, complexus fuit; sicut, inquit, quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.» Quae s. Leonis verba refert Grat. c. 2, dist. 14.

Iam vero hic de constitutionibus mere ecclesiasticis seu disciplinaribus sermonem habebimus, quae posteriorem prolegomenorum Iuris canonici partem secundum propositam divisionem conficient. Porro constitutiones istae illud in primis cum caeteris legibus commune habent, quod obligationem obtemperandi inducunt. Deus quippe potestatem imperandi in Ecclesia instituit, eique ut ipsius vicem in terris gerenti, subesse ac parere iubet, adeo ut inobedientes Deum ipsum condemnabunt. Nam Lucae X, 16 Christus ipse ad discipulos ait: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.» Unde Apostolus I. ad Thes-

sal. 4: « Scitis, inquit, quae praecepta dederim vobis per Iesum Christum; » et post: « Itaque qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum; » et I. Cor. 13: « Obedite praepositis vestris, et subiacete eis. »

De subiecto earum, seu de iis qui ecclesiasticis legibus obligantur, certum est baptizatos omnes eisdem obstringi, sive in fide permanserint, sive etiam ab Ecclesia defecerint, quia dum per ianuam baptismi in ipsius Ecclesiae gremium semel ingressi sunt, Christo, eiusque in terris Vicario subiecti efficiuntur, nec in eos unquam defecit iurisdictio. Alioquin ex sua iniquitate lucrum et commodum sentirent, qui idcirco puniri et ad obedientiam compelli possent tamquam rebelles subditi et inobedientes filii, ubi tamen est spes resipiscentiae, et quantum humana suadet prudentia, ne novo contemptui locus detur. Non ligantur autem illi qui baptisma non receperunt, prout sunt iudaei, ethnici, saraceni, de quibus, quia foris sunt, Ecclesia non iudicat.

Priscis temporibus Constitutiones summorum Pontificum *Auctoritates* nominabantur, quo significaretur summam debere apud omnes esse earum vim auctoritatemque. Acta Synodi Palaestinae, quae Victore I Pontifice celebrata est, sic incipiunt. « Papa Victor romanae Urbis Episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Caesariensem. Cum multitudo illa convenit, Theophilus Episcopus protulit auctoritatem ad se missam Papae Victoris. » Teste Constantio in pervetusta canonum collectione non alio quam *Auctoritatis* nomine inscribuntur Epistolae Decretales: « Auctoritas Siricii ad Himmerium, auctoritas Innocentii ad Victricium. » Et Zosimus ep. I. ad Episcopos Galliae, cum decrevisset, ut qui e Gallia aut Romam, aut alio se conferebant, litteras formatas a Metropolitano Arelatensi acceptas exhibere deberent, addit: « Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat id, quod statuimus, omnimode esse servandum.

Interdum Pontifices maximi in suis Constitutionibus solent

apostolicae Sedis iura dignitatemque tueri. Quaeritur itaque, an Pontificibus in causa propria credendum sit? « Absit, inquit, auctor, in quem nulla assentationis suspicio cadit, nempe auctor Defens. Declarat. Cleri Gallicani part. 2, lib. 15, cap. 6, « absit istud, ut eis non credamus, pari enim iure dixerint, ne Episcopis quidem, aut presbyteris esse adhibendam fidem, cum Sacerdotii sui honorem praedicant, quod contra est; nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque praerogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum, ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud, quod ait Paulus I. ad Cor. 2, v. 12, ACCEPIMUS SPIRITUM, QUI EX DEO EST, UT SCIAMUS QUAE A DEO DONATA SUNT NOBIS. Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem confutarem: profiteorque me de Sedis apostolicae maiestate Romanorum Pontificum doctrinae et traditioni crediturum. » Creditur Caesari, aliisque gentium scriptoribus, cum de suis gestibus scripsere; Pontificibus autem testantibus non rem occultam, sed publicam, nec privato scripto testantibus, sed publicis litteris, credendum non erit? In dubium vocari potest testis cum alius contrarius aequalis saltem auctoritatis profertur; ubi nihil est repugnans, qui probabilem dubitationem iniiciat? Tandem de Romanis Pontificibus tam sanctis, et a mendacii ambitionisque suspicione alienis aliquid falsi dubitare nec possumus, nec debemus.

§ 22.

De Constitutionum promulgatione.

Est tritum sermone proverbium, « legem sive civilem, sive ecclesiasticam, non obligare, nisi fuerit sufficienter promulgata. » Quod verissimum est: ipsa enim naturalis ratio persuadet, legem non promulgatam, ne legem quidem putandam esse. Vide s. Thomam 1 2, q. 1 ad 4.

Verum in disceptationem vocatur, an sit aliqua promulgationis faciendae praescripta forma? Iustinianus novella LXVI constituit, ut novae leges non modo in urbe principe, sed etiam in singulis provinciis promulgarentur. Sed ea novella ex iis le-

gibus est, quas *positivas* vocant: id enim statuit, quod aliter, si latori legis placuisset, statui poterat. Neque enim natura legis, sive naturalis ratio exigit in singulis provinciis leges promulgari: satis est, si ita promulgentur, ut ad eorum notitiam, pro quibus latae fuerint, pervenire possint. Egregie Cardinalis Gotti Tractatu V. de leg. quaest. 6, dub. 4, num. 1 in hanc sententiam ita scribit: « Spectato solo iure naturali, lex tam civilis, quam ecclesiastica, ut subditos obliget, non requirit determinatum promulgationis modum, sed satis est ea promulgatio, quae necessaria et sufficiens est, ut lex morali, et humano modo devenire possit in notitiam subditorum, sive sit lex imperialis, sive pontificia, sive publica voce praeconis, sive per affixionem, sive hoc fiat in Curia tantum, sive in pluribus locis. Et ratio est, quia ex natura rei, ut lex obliget, non requirit aliquam determinatam solemnitatem, quae observari debeat, sed solum quod sufficienter proponatur Communitati modo, quo mediate vel immediate, simul vel successive, in omnium notitiam deveniat.» Ipse Van Espen de promulgatione legis p. 1, c. 1: « Non apparet, ait, de ratione legis esse, praeveniendo omne ius positivum, ut eius promulgatio certo et determinato ritu fiat, aut certis, ac determinatis locis lex publica adfigatur, vel proclametur. »

Huc accedit iudicium et auctoritas Innocentii III, qui cap. 1 de Postulat. Praelat. Decano et Capitulo senonensi scripsit, « non esse necessarium, cum Constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare;

sed id solum sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit, eam solemniter editam, aut publice promulgatam. » Eadem habet Nicolaus I in epist. ad Photium, cuius fragmentum refertur cap. quod dicitis 14, dist. 16.

Quae cum ita sint, plerique doctores iure ac merito contendunt, promulgationem Constitutionum ecclesiasticarum solemniter Romae factam satis esse, ut omnes ubivis gentium Christiani ad eas servandas, absque ulla nova publicatione, obstringantur. Et haec sententia ab omnibus nunc recipitur, praesertim quod s. Sedes pluries declaravit bullas generalem disciplinam concernentes ubique locorum obligare, licet Romae tantum sint publicatae, quemadmodum de bullis contra sollicitantes, et contra liberos muratores statutum est per decretum S. O. an. 1838, quo edicitur eas obligare in Hollandia, licet ibi promulgatae non essent.

Verum Auctor Principiorum Iuris publ. eccl. cathol. cap. v, §. 49 huic sententiae contradicit his verbis: « Cum Roma, ubi conduntur papales Constitutiones, immense distet ab Ecclesiis Indiae, Africae, Americae, et Septentrionis, ad oculum patet promulgationem Romae duntaxat factam, ut solemnis esset, ex ipsa natura rei et disproportione locorum haud sufficere, sed requiri, ut fiat in singulis Dioecesibus, immo Paroeciis. » Et in subiecta nota sic addit: « Neque hoc dependet a voluntate Legislatoris; eius enim placitum nequit supplere defectum naturalem disproportionis. »

Huic autem argumento responsio est, neminem adeo ineptum esse, qui putet leges ecclesiasticas,

quo die Romae solemniter promulgantur, eodem die ipso gentibus remotissimis obtemperandi necessitatem inferre. In hoc siquidem esset naturalis *disproportio*, ut eisdem verbis utamur. Sed ea *disproportio* tollitur, cum dicimus, ecclesiastica lege solemniter Romae promulgata, obligari neminem, qui legem ignoret; sive, ut ait Pontifex c. 1, de concess. praeben. in 6, « Lex seu Constitutio, et mandatum nullos obstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent. » Itaque pro maiori vel minori ab urbe distantia, brevius tempus aut longius a die promulgationis elabi debet, antequam christianus populus promulgata lege teneatur, donec scilicet lex ipsa non rumoribus incertis, sed sufficienti certitudine innotuerit. Quamobrem inscii, dummodo culpabilis ignorantia absit, excusantur a culpa *ex defectu cognitionis*, et consequenter a poena, quae supponit culpam, nunquam vero excusantur ex defectu legis, quasi haec vim obligandi non habeat. Ita Innocentius I ad Exsuperium Episcopum Tolosanum (can. 2, dist. 82) ignoscendum duxit Clericis, qui in diaconii ministerio, vel officio presbyterii positi, ab uxoribus non abstinuerant, ubi tamen probaretur « novam Siricii Constitutionem in eorum provincias non commeasse. »

Van Espenio nimis confidenter effutienti l. c. nempe « moraliter impossibile esse, ut per publicationem Romae factam... populi et communitates fidelium per vastissima locorum intervalla dispersi etiam horum decretorum notitiam accipiant, » facile responsum datur. Nam 1° facto constat nullam unquam adeo dissitam et inhospitalem extitisse pla-

gam, quo promulgatae legis notitia serius ocius haud pervenerit: praesertim quod, ob humanum commercium inter Urbem et Orbem, omnes habent Romae, ut ait S. Alphonsus « suos procuratores, qui ordinarie satagunt suos principales de novis Bullis, quae promulgantur, certiores facere. » 2° Omnibus notum est, hominum inventis ac in applicandis naturae viribus industria id esse effectum, ut nulla locorum intervalla, nullaeque inter se dissitae ac dispersae nationes, inspectis mediis, quibus distantiae coarctantur, iam adinveniantur, ideoque decretorum, quae Romae promulgantur, notitia celerrime ubique gentium spargitur et innotescit. Quibus rite perpensis, insuperque attentis difficultatibus, quas perversi homines et abs religione extorres afferre possunt, ac solent, ne promulgatio, si qua requireretur, in singulis provinciis fiat; nobis concludere licet multo magis, quam licuit superiori seculo clarissimo Politi Iuris eccles. universi tom. I. prooem. c. 3, « longe facilius esse constitutionum, quae Romae eduntur, cognitionem capere, quam Romanum Pontificem eas tam longa, tam difficili, tam impedita promulgatione erogare. »

Vide Franciscum Antonium Zaccaria in suis dissertationibus latinis Fulginiae editis tom. II. dissert. 11 « De varia Ecclesiae, praesertim latinae, in promulgandis sacris constitutionibus disciplina. »

Praestat admonere tirones, totam quaestionem de promulgatione romana super legibus disciplinae versari; nam Constitutiones dogmaticae de fide, et moribus promulgatione non indigent, cum leges non sint, sed ipsa fidei morumque doctrina uberius explicata et fidelibus proposita; in quo Doctores utriusque sententiae consentiunt. Sic Tournelius in suis praelect.

theolog. tract. de leg. cap. V. sect. 4 hanc propositionem probandam sumpsit, nempe: « Leges pontificiae non ante obligant, quam in singulis provinciis promulgatae fuerint: » sed eodem loco fatetur et profitetur: « Quod semel ad fidem pertinere declaratum est, ubique bonum, ubique necessario tenendum, ut verbum Dei, unde ei adhaerendum est, statim ac certo cognoscitur, sive promulgationis via, sive alia quacumque ratione cognoscatur. » Et Cabassutius Iuris canon. Theor. et Prac. lib. I, cap. 4, num. 6, tradit decretis fidei « ligari quicunque privatim illorum habent sufficientem notitiam, quamvis neque in Provinciis promulgata, neque publice recepta fuerint..... et qui in Provincia dissita certo sciret, unum aliquod fidei decretum fuisse Romae ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur. »

§ 23.

De acceptatione Constitutionum ecclesiasticarum.

Sunt aliqui Canonistae auctoritatem Episcoporum nimium extollentes, qui docent unicuique Episcopo integrum esse novas Summorum Pontificum Constitutiones expendere, et cognoscere, utrum suis Dioecesibus utiles, an noxiae futurae sint, ut exinde possint utiles acceptare, et noxias non admittere. Namque aiunt supremam primatus potestatem ita exercendam esse, nihil ut detrahat de illa potestate, quam Episcopi divinitus acceperunt, eamque potestatem ita extollunt, ut Episcopos ferme Pontifici pares faciant; quapropter Febronius affirmare non dubitavit « leges papales non obligare, nisi ab Ecclesiis acceptentur. » Sic nullum locum praetermittunt convellendi primatus iurisdictionis, si fieri possit.

Primatus enim iurisdictionis (quod supra dictum est, et dicendum est saepius), ex definitione Concilii Florentini, est plena potestas a D. N. Iesu Christo Petro eiusque successoribus tradita « pa-

scendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam. » At quomodo Pontifex plena cum potestate pascet, reget, gubernabitque Ecclesiam, si nequeat leges imponere, praescribere, iubere, vetare?

Sed Pontifex, inquiunt, leges ferre potest; Episcoporum autem est perspicere, an leges ipsae proprio gregi conveniant. At vero si acceptatio Episcoporum postuletur, antequam lex obligandi vim habeat, illud semper consequitur, potestatem Primatus aut nullam esse, aut *meri*, ut aiunt, *directorii*, quia Pontifex non legem proprie conderet, sed proponeret; Episcopi vero vel acceptarent, vel non admitterent, quae sententia iansenistarum in Bulla Auctorem fidei prop. 2 proscripta est.

At vero Zallwein, et quidam alii Canonistae sentiunt, fas profecto Episcopis (Episcopis, inquam, non populo) esse Pontificum leges expendere, easque non promulgare, quotiescunque probe noverint gregibus suis inutiles, vel noxias fore, non quod potestatem ferendarum legum, quibus christianus populus obligetur, in Pontifice non agnoscant, sed quod ea sit Summorum Pontificum voluntas, ut suae leges non promulgentur, si Episcopis videantur plus obesse posse, quam prodesse. Ad quam sententiam confirmandam proferunt cap. 1 de Constit. in 6; cap. 1 de Rescriptis; cap. 6 de Praebendis; cap. 10 de Foro compet. Verum ea omnia loca alio omnino spectant. Siquidem cap. I. de constit. in 6 tantummodo decernit: «Speciales consuetudines et statuta rationabilia locorum per novas Constitutiones non tolli, nisi id apertis verbis exprimatur; » caetera vero capita ad rescripta Pontificum, non ad novas leges pertinent.

At subdunt: si Romanorum Antistitum Consti-

tutiones Ecclesiis suis vel minus accommodatas, vel noxias etiam, pro variis locorum rationibus, Episcopi iudicent, nunquid eas recipere debent, et promulgare?

Responsionem dabimus eisdem verbis Benedicti XIV de Syn. Dioeces. lib. IX, cap. 8: « Nonnunquam, ait, experientia demonstrat aliquod ex huiusmodi generalibus statutis, licet plerisque Provinciis ac Dioecesibus utile atque proficuum, alicui tamen Provinciae, aut Dioecesi opportunum non esse: id quod legislatori compertum non erat, cum ipsi peculiares omnes locorum res, atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur Pontifex in c. 1 de Const. in 6. In his itaque rerum circumstantiis Episcopus intelligens apostolicae Sedis legem in Dioecesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur. Neque Romani Pontifices unquam renuerunt inferiorum rationibus aures praebere; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt aliquas Provincias aut Dioeceses a generalium Constitutionum suarum lege eximere. » Quin imo Episcopus excusandus aliqua ratione videtur, ubi pontificias Constitutiones exsecutioni mandare differt, eo quod in iis versetur rerum adiunctis, ut absque gravi perturbatione scandalisque servari non posse solido quidem fundamento arbitretur, dummodo tamen rationes suas his in casibus, cum primum potuerit, summo Pontifici manifestaverit, animo paratus illis obtemperare, quae deinceps S. Sedes rescripserit. Suarez de leg. c. 16, n. 7. Quo quidem in genere nec reprehen-

dendi admodum essent Episcopi illi, qui in aliquo gravioris momenti negotio firmiorem quamdam ardentis zeli rationem adhiberent ad causam suam S. Pontifici demonstrandam, dummodo ea, qua oportet, mŏdestia et humilitate se gerant, et a quaestione, *an expediat*, *ac fieri debeat*, quae sola in huiusmodi casibus locum habere potest, nullo prorsus modo praetergrediantur ad ipsam iurisdictionis plenitudinem in Pontifice ulla ex parte impugnandam. Vide Ballerin. t. 2, op. S. Leonis p. 971. Quid si Episcopi aliqui, iteratis Pontificis praeceptionibus obstinati resistunt? Ipsi sane a reatu violatae legis non excusantur, sed non idcirco ab Ecclesiae communione alieni sunt, praeterquam, si gravissima anathematis poena constringantur, aut spernentes maiori usque contumacia ipsam auctoritatem, rebelles ab Ecclesia seu schismatici fiant. Porro ad benignam sacri regiminis indolem spectat ut S. Pontifex toleret saepenumero christianos, atque etiam Episcopos inobsequentes, ne isti, severitate poenarum exasperati, ad infame schismatis baratrum se praecipitent. Notandum est, non agi hic de Constitutionibus, quae ad fidem, mores, vel ad sacros ritus, caeremonias, sacramenta, et clericorum vitam referuntur, quandoquidem, aiente Ben. XIV l. 1, inferiorum iudicio, ac censurae huiusmodi Constitutiones nullo modo subiici possunt.

§ 24.

De Placito regio.

Aliqui Canonistae contendunt, summis Principibus ius esse Constitutiones ecclesiasticas, sive a Summo Pontifice, sive ab Episcopis conditas, antequam promulgentur, publicae utilitatis causa, inspiciendi, atque adeo promulgandas non esse, nisi Principes ipsi permiserint. Quae quidem permissio « *Placitum, Placitum regium, Exsequatur, regium Pareatur,* » aliisque huiusmodi vocabulis nominari solet. Illud autem ius derivant ex iure *maiestatico* inspiciendi et cavendi, ne quid respublica detrimenti capiat, propterea quod aiunt fieri posse, ut Constitutiones ecclesiasticae aliquid contineant, quod iuribus Imperii detrahat, aut civili societati nocere possit.

Si *Placiti* originem quaeras, eius initium repetendum est a schismate omnium, quae hactenus Ecclesiam Dei turbarunt, teterrimo atque longissimo, quod ab Urbano VI ad Concilium Constantiense perduravit. Namque Urbanus VI, ne occasione schismatis fraudes impune admitterentur, « concessit, ut legimus in Constitutione secunda Martini V, quibusdam Praelatis, quod in eorum civitatibus et Dioecesibus non posset fieri exsequutio aliquarum litterarum apostolicarum, nisi prius huiusmodi Praelatis ipsis, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatae forent. » Principes quoque, ne populi a pseudopontificibus deciperentur, in Bullas et Constitutiones omnes studiose inquirere coeperunt. Vide Wouters t. 2, p. 376.

At vero, cessante causa, non cessavit effectus; extincto scilicet schismate, *Placitum* non evanuit, sed apud multas nationes a potestate civili retentum est, et gradatim amplificatum. « Primum nempe, ut ait Oliva Tract. de For. eccles. par. 1, quaest. 22, n. 19, ad rescripta gratiae et iustitiae privatis data adhiberi Placitum coeptum est, postea extensum ad decreta disciplinae, demum ad Bullas etiam dogmaticas. » Idque ex politicorum suggestione factum esse ac susceptum « qui, ut refert Zallwenius tom. 1, pag. 380, adulandi, placendi, atque iurisdictionis et propriae et suorum principalium ampliandae studio, et odio, quo in auctoritatem ecclesiasticam feruntur, nescio quae pericula, praeiudicia et damna publico bono metuenda fingunt, et suis principibus, vel speciosissimis rationibus, ante oculos ponunt. » Verum ad placitum regium expungendum aequo aestimatori cuique satis esse deberent quae olim huius absurdissimi inventi patronis obiecerat clar. Oliva inquiens: « Aliter Summus Pontifex posset per constitutionem generalem praecipere, ut nullum rescriptum gratiae impetratum a Principe saeculari executioni mandaretur, nisi prius apud Episcopos praesentetur et examinetur, an in praeiudicium potestatis spiritualis aliquid contineat, quia non minor sed maior est eius potestas ad hoc, quam principis saecularis ad illud. » Atque iisdem recentius obiectare non verebatur citatus Zallwenius expressis hisce verbis l. c.: « Quaeso, si Imperatores ecclesiastici, quos posuit Christus regere Ecclesiam Dei, suum quoque placitum urgerent, quoties decreta emanant politica, quae non raro statui ecclesiastico sunt praeiudiciosa, libertatibus

ecclesiasticis inimica, iurisdictioni Pontificum et Episcoporum adversa, imo aliquoties ipsa Sancta Sanctorum invadunt, quid dicturi forent? » Sicut ergo, prosequitur Govart, op., suo motivo iuris de placito, et opusc. contra Espen. : « Princeps dicendus est non habere plenam potestatem et iurisdictionem in temporalibus, si ipsius edicta dependerent a Pontificis et Episcoporum placito, et eorum publicatio impediri posset ab aliis, ita nec Pontifex plenam potestatem haberet in spiritualibus, si ipsius Constitutiones dependerent a placito Principum, et ab iis impediri possent. Quare si in priori casu, id qui assereret, auctoritati Principis dicendus esset arrodere, ita et a fortiori in altero casu dicendus esset pontificiam auctoritatem maligno dente arrodere, eamque penitus destruere. »

Porro de iure inspiciendi cavendique, quo *Placitum regium* niti autumant, generatim animadvertimus, ius istud certis finibus coërceri, quo egredi non potest. Namque, ut ait Puffendorfius de Iur. nat. et gent. lib. 7, cap. 1, §. 7 et 8 : « Homo ius habet utendi omnibus mediis, quae sana ratio ad ipsius conservationem necessaria dictat adversus omnes, a quibus ipsi periculum imminere itidem sana ratio suggerit. Igitur si quis cautionem suam ulterius, quam ratio sana admittit, extenderit, sine dubio in legem naturalem peccabit. Nec sana ratio hoc unquam probabit, ut alterum, de cuius voluntate et conatu in meam perniciem nondum peculiariter constet, oppressum eam : cum longe aptiora sint remedia pacem cum ipso firmandi. Nam sola illa hominum communis malitia, quae utique gradus suos habet, non sta-

tim hominem homini professum hostem facit. Quomodo sola suspicio, ne quis amicitiam adversus me simulet, aut animum suum mutet, probabilem mihi causam praebet eumdem occupandi? » Ergo lex naturae vetat in aliorum actiones inquirere ea de causa, quod nocere possunt: neque unquam Ecclesia ius sibi vindicavit summorum principum leges antequam ederentur, inspiciendi, improbandique ob eam tantummodo rationem, quod aliquod ex eis detrimentum capere posset. Igitur necesse est iustam quoque esse causam timendi, ne futurum sit, ut detrimentum aliquod inferatur. Quid porro mali ab ecclesiasticis Constitutionibus respublica timere potest? Enimvero Constitutiones dogmaticae quae fidei morumque doctrinam proponunt, tantum abest, ut reipublicae noceant, ut nihil magis possit ei prodesse; siquidem Religio maximum est propugnaculum, et praesidium Reipublicae. Sic etiam Constitutiones, quae ad disciplinam pertinent, pro « salubri regimine Ecclesiae, ut ait Zypaeus in Analys. iur. pontif. 46, tit. de Constitut., maturis et repetitis deliberationibus ad tollendos abusus cum magno decore domus Dei, incremento politiae ecclesiasticae, et augmento iustitiae secularis promulgantur; » et Ecclesia nihil habet antiquius, quam ut iura civilis potestatis inviolata ubique maneant. Ex his vult Zallingerus, ut quis concludat « quam inane sit illud, quod de examinandis, et inspiciendis Ecclesiae Decretis ac Constitutionibus centies oggerunt regalistae: posset talis constitutio, aut clausulae adiectae turbare rempublicam, posset laedere iura Episcoporum; posset etc., etc.; aliud placiti regii titulum, si eius iustitiam tueri velint, excogitent

necesse est. » Nam si huic titulo ac motivo insistunt, fateantur necesse est, non solum principes catholicos, sed et acatholicos et mahumedanos, paganos, ethnicos ac persecutores Ecclesiae hoc ius sibi aequaliter vindicare posse, quo posito, quam horrenda inde sequantur consectaria nemo est qui non videat.

Verum illud gravissimnm accedit, quod huiusmodi placito libertas magisterii et regiminis ecclesiastici divinitus Ecclesiae concrediti apprime laeditur, eiusque autonomia funditus convellitur atque destruitur, et si Ecclesia ad maiora praecavenda mala sustinet et tolerat, non tamen consentit neque approbat.

Pro Placito regio scripserunt Felicianus Oliva, apud Lusitanos canonum doctor, *de Foro eccl.* p. 1, q. 22; Franciscus Salgado *de supplicatione ad Sanctissimum*, itemque *de regia protectione*; Didacus Covarruvias in quaest. practic. q. 35, qui tamen omnes ius illud quibusdam terminis et modis circumscripserunt. Sed Van-Espenius tract. de prom. leg. eccl., Tract. de rec. ad Prin. et in op. de Iur. pub. eccl. p. 2, t. 24, c. 6 omnem modum et terminum transivit, ita ut Zallwein in princip. iur. eccles. tom. 4, q. 1, cap. 2, dixerit: « Hortamur catholicos, ut hunc auctorem caute legant, qui sane excessivus est, in extensione huius Placiti regii, et iure optimo illis scriptoribus annumerari meretur, qui muscas captant, de umbra disputant, interesse politicum etiam imaginarium ante oculos habent, atque hac ratione potestatem ecclesiasticam ferme ad incitas redigunt: e contra politicam ultra suos fines quam longissime extendunt; » et Rachusius in suo historico circa Van-Espenium tractatu iterum edito 1787 addidit « Ius canonicum Van-Espenii in hunc scopum fuisse concinnatum, ut Ianscnistis vires adderet, eorum errores tueretur, Sedem apostolicam deprimeret, iurisdictionem Episcoporum subverteret, immunitatem ecclesiasticam de medio tolleret, laicamque potestatem, deiecta Ecclesiastica, extolleret » et auctor opusculi « Acta Zegeri Bernardi Van-Espen.... circa missionem Hollandicam ab anno 1705 ad annum 1731, p. 4 ait: « quo opere magna parte ex pessimis auctoribus compilato, ut potuit, Pontificum praerogativis, Episcoporum iurisdictioni, et Ecclesiasticae immunitati non minime

detrahit; et dum obtendit iura Principum, Imperium, si non praefert, cum Sacerdotio multipliciter committit » idemque iudicium efformat pag. 97.

Pro sententia nostra vide, praeter Bellarminum et Suarez, Fontanini « Ragioni della Sede apostolica; » Car. Altham « Rappresentanze a Carlo V, e lettere della Sede apostolica » Bolluga « Memoriale a Filippo V; » Bolgeni « Limite delle due potestà; » Zallinger *Iur. eccl. pub.* l. V, §. 401, et *Antifebronium vindicatum*, tom. IV. diss. 12, cap. 2, n. 3, apud quos invenies etiam argumenta contraria docte periteque confutata. Vide etiam Droste zu Vischering op.: « Ueber dem Frieden unter die Kirche und den Staaten etc. » et opus sup. cit., nec non aliud editum Traiecti ad Rhenum 1830, cui titulus, « Rmi D. Petri Govart, J. U. Doct. Vicarii apostolici Buscoducensis opuscula adversus I. B. Espenii doctrinam de placito regio, » ubi reperies etiam excerptum ex demissa expositione Card. Bathiani primatis Hungariae ad Imperatorem Iosephum II, relate ad decreta ecclesiastico-politica, et praecipue relate ad Placitum regium. Hic auctor p. 190 et seqq. quanta sit *Placetum* inter et *Visa* seu inspectionem disparitas, pluribus explicat, animadvertendo *placetum semper* inspectionem, non vero omnem inspectionem placetum semper involvere. Vide etiam dissert. Camilli Tarquinii S. I. Romae an. 1853. Ex dictis in hoc, ac praec. §. 23 sequitur pontificias leges statim ac innotescunt, obligationem parere, quin aut Imperantis placetum, aut Episcopi acceptatio necessaria sit. Ad hanc rem S. C. de Propaganda Fide die 2 octobris an. 1765 de Bullis pontificiis ait: « Ex se vim obligandi habent quoscunque, absque consensu ullius personae ecclesiasticae, vel secularis, quocunque titulo et dignitate etiam regia, praefulgentis. Hoc *in iure* certissimum. Verum illud *facto* aliquando usuvenire solet, ut ob speciales rationes, leges quaedam disciplinam spectantes, summi Pontificis aut voluntate, aut indulgentia, tum tantum obligare incipiant, cum in provinciis promulgantur, aut acceptantur, de qua re vide Bouix de princip. I. C. sect. 2, c. 5, §. 2. Pariter ex pacto convento concessum est Principi, ut leges ecclesiasticae disciplinam spectantes, regis placito, inspectionique subiiciantur. Deficiente placito, vel eo denegato, an lex nullius valoris ac efficaciae sit dicenda, etiam quoad illos, ad quorum notitiam pervenit, quaesitum est, et plura in utramque partem dicta sunt. Qui affirmativam tenent sententiam, praecipuum argumentum hauriunt ex eo, quod placitum regium, per pactum conventum, necesse efficitur promulgationis modus, quo deficiente, lex non existit, utpote quae caret promulgatione. Qui negativam sequuntur sententiam validioribus pugnant armis, ac iure afferunt, ex pacto convento, place-

tum regium nil aliud importare, quam ius inspiciendi, an lex ecclesiastica, absque status detrimento, vim legis civilis habere debeat ac possit, unde inferunt defectum placeti impedire quidem, quominus lex canonica inter status leges recenseatur, effectusque civiles sortiatur, nullo vero modo efficere, ut vim ac potestatem suam haud exserat, si Romae promulgata, ad catholicorum notitiam pervenerit. Vide Card. Gousset l. c. p. 100.

§ 25.

De cessatione Ecclesiasticae Constitutionis cessante fine.

Constitutio ecclesiastica duplici modo cessare potest: 1° universim, respectu scilicet omnium, ita ut neminem amplius obliget; 2° peculiariter, respectu nempe alicuius privatae personae, aut communitatis minoris, tamquam personae singularis, manente interim pro tota communitate legis ipsius obligatione. Lex autem universim cessat *cessatione finis*, et abrogatione sive expressa sive praesumpta, peculiariter vero cessat dispensatione.

Primo itaque, cessante fine legis intrinsecae et adaequato respectu communitatis, lex eo facto cessat, quia, ut habetur c. 26 de Iure fer., cessante causa, cessat effectus; et sicut lex ab initio non subsisteret, si absque causa et ratione aliqua lata esset, ita desinente causa et ratione, ob quam lata est, lex ipsa esse et obligare desinit; alias enim inutiliter, imo et iniuste voluntates hominum constringerentur. Hac de causa leges caeremoniales veteris testamenti cessarunt, quoniam erant figurae rerum futurarum, quae per Christum impletae sunt.

Diximus autem 1° *cessante fine intrinseco*, nam

finis legis alius intrinsecus est, extrinsecus alius. Intrinsecus est ipsa honestas, quae reperitur in re praecepta; extrinsecus vero ea specialis ratio, ob quam res ipsa a legislatore praecipitur. Ita finis intrinsecus ieiunii est ipsius ieiunii honestas, finis extrinsecus est carnis maceratio, vel vitiorum repressio, ob quas ieiunium ipsum praecipitur. Quando igitur materia praecepta est actus de se virtuosus, ad hoc ut lex eiusque obligatio cesset, omnino requiritur, ut non solum finis legis extrinsecus cesset, sed insuper etiam ut finis intrinsecus prorsus desinat. Hinc quamvis cesset extrinsecus finis ieiunii in eo, qui carnem habet subiectam spiritui, tamen ieiunare tenetur, eo quod honestas ieiunii, qui finis intrinsecus est, adhuc perseverat. Diximus 2° *fine adaequato;* si enim plures fines fuerint a legislatore intenti, et unus vel alter tantum cesset, non propterea lex tota cessaret, quia adhuc sufficienter obligat ob illum finem, qui superest iuxta regulam 37 in 6: « Utile per inutile non debet vitiari, » nisi forte ob defectum finis in una parte, tota lex iniusta vel nociva magis, quam utilis redderetur. Diximus 3° *respectu totius communitatis;* sicut enim lex fertur pro tota communitate, et communi bono, ita lex cessare non potest, quamdiu pro ipsa communitate, aut pro maiori illius parte inutilis non evaserit. Si enim ubicumque ratio legis cessat solum respectu alicuius privatae personae, lex pro ea persona simul deficeret, frustra requireretur dispensatio Pontificis, qui ex causa a vinculo iuris communis eximeret, quod nequit dici, quia omnia arbitraria essent, atque confusa, dum quilibet se lege non comprehendi facili negotio sibi persuaderet.

Quotiescumque vero finis intrinsecus et adaequatus legis pro tota communitate cessat, eo ipso deficit per se lex, quin requiratur decretum Pontificis legem abrogantis, aut non amplius obligare declarantis, quia nimirum, eo in casu, lex ob defectum intrinsecum et substantialem necessario corruit atque desinit. Non sufficit tamen unius vel alterius privatae personae iudicium, ut lex cessasse dicatur, sed communis reipublicae consensus postulatur, quoniam lex quae firma possessione fruitur, sola auferri probabilitate aut privato iudicio non potest.

§ 26.

De legis cessatione per abrogationem expressam, sive per legem contrariam posteriorem.

Secundo lex cessat per abrogationem, qua lex ob iustas et rationales causas omnino tollitur. « Nec enim, ut loquitur Innoc. III. in Conc. Lat. et refertur in c. 8 de cons. et aff., debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcat, quoniam ipse Deus ex his, quae veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. » Certum itaque exploratumque est a Pontifice suam constitutionem revocari aut abrogari posse, quoniam eadem potestas, quae ad legem ferendam requiritur, sufficit ad illam abrogandam, cum iuxta regulam iuris « res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvi potest. » Atque id quoque potest Pontificis successor, quoniam u-

triusque potestas aequalis est, et cum par in parem non habeat imperium, Pontifex nequit successori suo valide praecipere, ut constitutionem a se latam non revocet. Inferior tamen superioris legem abrogare non potest, can. Inf. dist. 21. Alioquin esset in Episcoporum facultate totum ius commune et concilia universalia subvertere, quod est erroneum asserere, cum id nihil aliud esset, quam superiora inferioribus subiicere, ordinem naturalem invertere, et ecclesiasticam hierarchiam Dei ordinatione institutam confundere. Vide Bened. XIV, de leg. l. 13, c. 1.

At vero, praeter expressam legis revocationem, abrogatur praeterea lex, posteriori contraria lege. Itaque constitutio posterior priorem directe contrariam, quamvis de ipsa mentionem non faciat, omnino tollit, atque abrogat. Ita Bonif. VIII in C. licet de Const. in 6: « Licet Rom. Pontif. (qui iura omnia in scrinio pectoris sui habere censetur) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur. » Hinc generalis regula est: « Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quae eas praecesserunt » l. 4, ff. de Const. principum; quod etiam procedit in casu, in quo prior constitutio munita fuerit clausula omnium posteriorum legum derogatoria; quoniam huiusmodi clausula aliam vim non habet, nisi ut enixam legislatoris, cum priorem constitutionem ederet, voluntatem obligandi significaret. Lex tamen posterior generalis non abrogat speciales consuetudines, et statuta rationabilia, licet illis contraria sit, nisi expresse caveatur, c. 1 de Const. in 7, §. de abrogatione per consuetudinem.

§ 27.

De legis abrogatione per consuetudinem.

Lex tollitur insuper per consuetudinem. Consuetudo est ius inductum voluntariis populorum moribus, et usu diuturno, uniformi ac continuo, cum expresso, vel tacito, aut praesumpto Legislatoris consensu. Consuetudo dividitur 1° in eam, quam vocant *secundum legem*, quae proprie consuetudo non est, sed potius scriptis legibus obtemperatio. De hac consuetudine Gratianus canone 3, §. *Leges*, dist. 4: « Leges, inquit, constituuntur, cum promulgantur, firmantur vero cum moribus utentium approbantur: » quae verba non ita accipienda sunt, quasi acceptatio populi ad vim et firmitatem legum pertineat, sed, quemadmodum Fagnanus in cap. 1 de treg. et pace, cum aliis doctoribus, docte recteque interpretatur, ea verba « ad firmitatem facti, non iuris referuntur. » Dividitur 2° in consuetudinem, quae *praeter ius* appellatur, quae scilicet iuri scripto non adversatur, sed ipsa ius novum constituit. Ad hanc consuetudinem spectat Canon 5, dist. 3: « Consuetudo est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. » Denique 3° dividitur in consuetudinem, quae dicitur *contra ius*, per quam aut lex non recipitur, aut recepta contrariis actibus eliditur, de qua consuetudine haec breviter significamus.

Itaque consuetudo *contra ius* habet vim abrogandi legem ipsam, idque si non expresso vel ta-

cito et praesumpto, saltem legali et iuridico legislatoris consensu, propterea quod ius civile et sacri canones eam vim potestatemque consuetudini tribuerunt. Namque Iustinianus l. 32, §. 1, ff. de legib.: « Rectissime, inquit, illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur: » et Gregorius IX, cap. 11 de consuetud., ait: « Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime praescripta. Cap. dilectus 8, §. Caeterum X h. t. 2 Cod. quae sit longa Consuetudo, et Glossa Consuet. ad. Can. Frustra 7, dist. 8, 11, et Glossa Legitime sit praescripta ad C. Cum tanto 11, h. tit. » Igitur si ratione nitatur, longoque usu praescripta fuerit, legem abrogat.

Prima itaque consuetudinis conditio est, ut ratione ea nitatur. Porro quae consuetudo rationabilis iure merito dicatur, inter auctores non convenit. Sunt bene multi, qui illam consuetudinem rationabilem habent, quae neque iuri naturali repugnat, neque divino, neque a lege fuerit reprobata, de qua ultima conditione consulendus Pirhing lib. Decretalium I, 1, p. 3, §. 2, ubi consuetudines recenset a iure canonico veluti non rationabiles. Gonzalez in 6, t. h. de consuetud. n. 4, Sanchez de matrim. l. 7, disp. 4, p. 14, et Reiffenstuel h. t. §. 2, n. 33, eam consuetudinem rationabilem dicunt, quae potest esse obiectum legis iustae derogantis legi iam existenti, vel quae, ut ait Hut op. Iur. can. ad tit. 5, Decret. Venetiis 1843, l. 1, t. 2, p. 26, rem utilem ac hone-

stam spectat. Layman Theol. mor. l. 1, t. 4, tract. cap. 24, n. 4, et Schmalzgrueber, h. t. n. 17, tum rationabilem aiunt consuetudinem, quum neque iuri naturali, neque divino, neque rectae rationi, aut bonis moribus adversatur, neque peccandi licentiam praebet, aut occasionem. Ferrante Elem. Iur. can. Romae 1855 irrationabilem eam censet consuetudinem, quae gravitati ecclesiasticae disciplinae adversatur. Philipps, ut caeteros omittam, op. cit. loc. cit., eam consuetudinem vocat rationabilem, quae rerum naturae conformis, iuri naturali aut divino neque directe neque indirecte contrait; irrationabilem vero eam appellat, quae nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit, et ordinem per SS. Canones fundatum convellit ac destruit. Iam ut facile internoscas rationabilem consuetudinem ab irrationabili, quando res in praxim deducenda venit, auctor hic te iubet rationem legis et consuetudinis rationem serio considerare, simulque hortatur, ut attendas, an ratio, propter quam initio lex utilis iudicata fuit, omnibus mature consideratis atque perpensis, etiamnum perduret, quo in casu nullum dubium, quin lex consuetudinem, non consuetudo legem vincat, ut ait s. Thomas 2. 2. quaest. 97 ad 3ᵐ. Sed forte obiicies: lex necessario debet esse rationabilis, ergo consuetudo, quae est contra legem, rationabilis esse non potest. Huius vero difficultatis solutio est, quod consuetudo contra legem rationabilis esse nequit, dum lex viget, rationabilis tamen evadit, quando lex contraria rationabilis esse desinit. Id autem accidit, quando violata, longo et continenti tempore, lex est; incipit quippe in iis circumstantiis inutilis esse reipubli-

cae, atque idcirco expedit tolli obligationem illius, ne culpae diutius continuentur. Unde consequitur, quod etsi actus antecedentes inobedientiam contra legem, seu peccatum involvant, a peccato tamen immunes evadunt illi actus, qui post consuetudinem rite inductam expleantur. Quid vero dicendum si dubium in concreto exsurgat, an haec vel illa consuetudo rationabilis haberi debeat, eo quod, omnibus attente perpensis, certo statui nequeat rationem legis adhuc perdurare? Alii cum Reiffenstuel de cons. c. 54, affirmant in dubio an lex consuetudinem vincat, favorem consuetudinis, veluti in possessione existentis, firmandum esse. Alii negant, quandoquidem rationabilitas, in cuius possessione stat lex, nequit a dubia consuetudinis honestate superari, nisi forte agatur de consuetudine immemorabili, quae praesumptionem cuiuslibet tituli iusti inducit. S. Alphonsus de Cons. t. 2, n. 76: « Cum constet de lege, pro ea stat praesumptio, et possessio, proindeque alleganti eam non esse receptam, vel abrogatam, onus obligandi incumbit, ideoque usquedum probet, lege tenetur. » Alii vero dicunt consuetudinem in casu legem non tollere, sed efficere, ut legis poena deleatur, iuxta ea quae ait Glossa c. denique dist. 4 « excusat a poena temporali, non a gehenna. »

Altera consuetudinis conditio est, ut sit *legitime praescripta* per tempus lege definitum. Qua super re, id primum animadvertimus, legem quae initio non recipitur, sine ullo temporis spatio abrogari, quando scilicet legislator novit legem ipsam non servari; tunc etenim post paucos contra legem actus, quibus cum facile potuisset, minime obstitit, censetur legem ipsam, quia communitati displi-

cebat, revocasse, praesertim quod praesumitur nolle legislatorem cum maximo animarum dispendio, suae legis vinculo diu irretitam tenere communitatem, quae numquam passa est se ea constringi, ut bene ratiocinatur Suarez de Leg. l. 4, c. 16, n. 12. Ubi vero lex initio respuitur, ignorante legislatore, decem annorum spatio aboleri docet idem Suarez, et hanc opinionem practice certam arbitratur, eo quod, cap. 9 et 11 de consuetudine, generatim vis legalis *longae* consuetudini tribuitur, et decem anni *longum* tempus in iure dicuntur, leg. *Super longi* Cod. de praescript. longi temporis, et Gloss. c. cit. de Cons. in 6. Tunc vero consensum legislatoris lex ipsa supplet; namque, ut ait Petrus Gibert in Corpus Iuris canonici tom. 1, part. poster., « Consensus lege datus est generalis, et cadit in quasvis consuetudines legislatori etiam ignotas.» Vide Suarez l. c. c. 14, n. 16. Ubi vero lex ab initio recipitur, ea, ut abolita ac praescripta dicatur, nonnulli auctores, teste Suarez l. 7, c. 18, n. 30, putant absolute requiri, ut quadraginta saltem annorum spatio, contraria consuetudo perduret, et insuper animadvertunt consuetudinem in huiusmodi rerum ac regionum adiunctis versari debere, ut dubitatio nulla submoveri possit, ne forte legislator siluerit ac toleraverit, ob graviora mala propulsanda, quae sive ex malevola principis voluntate, sive ex praepotenti populi mente, sive ex alia ratione pertimescenda essent. Verum, hisce adiunctis existentibus, plerique auctores neoterici autumant decem annorum consuetudinem sufficere; quam sententiam s. Alphonsus probabilem dicit, etsi eam aperte non amplectatur. Tandem quibusdam pla-

cuit, deficiente certa regula, quaestionem definiendam relinquere prudenti iudicis arbitrio, qui, omnibus pro negotii qualitate perspectis, modo longius, modo brevius tempus decernere potest, quandoquidem cum iura tempus non determinant, est a iudice pro re nata aestimandum, ut ait Bouix Ius can. t. 1, l. 4, v. 39, et Gousset loc. cit. Vide *Revue des sciences ecclésiast.* n. 36, Aug. 1864. Porro notandum est fieri aliquando posse, quemadmodum opportunior inferius dabitur disserendi locus, ut inspecta materia, de qua agitur, attentisque rerum ac personarum adiunctis, quod de Ecclesiae romanae iuribus constat, immemorabilis, aut saltem centenaria cum titulo requiratur consuetudo. Quaeritur hic, an lex quae initio recepta est, et cui adiectum fuit *decretum irritans*, et *clausula sublata*, vi cuius salva ac firma lex manet, licet consuetudo etiam immemorabilis eidem obsistat, possit, hisce non obstantibus, per consuetudinem postea introductam irritari ac praescribi? Alii auctores affirmativam, negativam alii tuentur sententiam. Card. de Luca de Can. et Cap. dis. 33, n. 3, et adnot. ad Conc. Trid. dis. 1, n. 16, ait: « Consuetudinem vitiosam esse ab initio atque infestam, adeoque tractu temporis convalescere nequit. Suarez vero de Leg. l. 7, c. 19, n. 14 haec habet: « Lex irritans potest abrogari aliqua ratione honesta... nec talis consuetudo (legem irritantem abrogans) semper invenitur in iure reprobata, ut per se constat, nec ex sola natura rei id potest cum verisimilitudine cogitari. » Qui vero contendunt consuetudinem etiam in hoc casu praescribere posse contra legem, ii non idem omnes sentiunt de speciali quaestione, an nempe attenta

Const. Pii IV : « BENEDICTUS DEUS » 26 Ian. 1564 et praecipue « SICUT AD SACRUM » eiusdem anni, et « IN PRINCIPIIS » an. 1565, quibus omnia Syn. Trid. contraria abrogantur, nulliusque momenti redduntur consuetudines, quae leges Tridentinas violant, ea sit Tridentinae Synodi legum vis ac firmitas, ut nulla unquam consuetudo iure praevalere possit ? Bouix op. cit. sect. 6, cap. 4, §. 2, inspecta SS. Congregationum praxi, in eam descendit sententiam, quae decreta tridentina, ne consuetudine quidem centenaria, praescribi posse statuit. Söll de Praescript. n. 561, postquam statuit legi vel canoni, non obstante clausula seu decreto irritante, contrariam consuetudinem introduci posse, sic prosequitur: « Non desunt exempla, queis ostenditur quaedam decreta concilii fuisse limitata, restricta vel omnino per contrarium usum abrogata..... ex quibus patet S. C. decreta abrogari posse per consuetudinem, si haec rationabilis sit, nec per posterius quoddam decretum reprobetur. » Auctor op. *Mélanges théologiques* tom. 7, p. 358, primam sequitur sententiam, ita tamen, ut admittat S. C. posse aliquando contrariam consuetudinem approbare. Auctor operis « Praelect. Iur. can. habitae in Sem. S. Sulpicii an. 1857, 1858, 1859 » haec habet in prima editione: « Probabilior videtur secunda opinio, ea tamen conditione, ut servata disciplina et mente concilii, accidentalem solummodo illius decretis derogationem inducat consuetudo; sed pronuntiare nostrum non est. » In secunda editione suam sententiam apertius exponit, et, servata mente et disciplina concilii, quod ad substantiam in omnibus quae ad reformationem morum, au-

ctoritatem cultus et libertates ecclesiasticas attinet, admittit in reliquis accidentalem solum mutationem.

Porro consuetudo *generalis* per legem contrariam tolli potest, quin de ea mentio specialiter fiat. Consuetudo *particularis*, si immemorialis non sit, non abrogatur per legem contrariam, nisi clausula addatur « *nulla obstante consuetudine*, aut simili ; si vero *immemorialis* est, adeoque ad instar tituli habeatur, necesse est ad eam tollendam, ut lex contraria eiusdem mentionem faciat per verba, non obstante qualibet consuetudine, etiam immemorabili, vel per alia aequivalentia, quibus irrationabilis declaretur.

Veruntamen aliqua sunt, eaque non parvi momenti, in medium proferenda; atque illud in primis dicendum est, in controversiis de iurisdictione ecclesiastica, cum iura utrinque incerta sunt, Concilia et Pontifices semper iis causam adiudicasse, qui consuetudine antiqua nitebantur. Praeclare enim Faustinus legatus romanae ecclesiae in Concilio Carthaginiensi anno 419 dixit: « Quia et aliqua ordine et canone tenentur, aliqua consuetudine firmantur. » Et in Concilio Chalcedonensi act. 13, cum Anastasius Episcopus Nicaenus contenderet Ecclesiam Basilinopoleos sibi subiectam esse, iudices cognitores ab eo petierunt, qua ratione id probare vellet, « an secundum Canones, an ex consuetudine aliqua? » Itaque cum Meletius Lycopolitanus non dubitasset in Aegypti Ecclesiis, quae ex antiqua consuetudine Patriarchae alexandrino parebant, iurisdictionem exercere, Concilium nicaenum I. ei restitit, eaque de re Canonem sextum edidit, qui est: « Antiqua consuetudo ser-

vetur per Aegyptum Lybiam, et Pentapolim, ita ut alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. » Et in Concilio Ephesinorum cum disquisitio fieret, an sacrae ordinationes in Ecclesiis Cypri ad Patriarcham antiochenum spectarent, sancta Synodus ita decrevit: « Si non est vetus mos, quod Episcopus antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis, et propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad Sanctam Synodum accesserunt, habeant ius suum intactum et inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis praesunt secundum Canones SS. Patrum, et veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcorum facientes. » In fine vero eiusdem decreti generatim edicitur: « Placuit igitur sanctae Synodo, ut unicuique Provinciae pura et inviolata, quae iam inde ab initio, sua iura serventur iuxta veterem consuetudinem. »

Iam vero haec vis et auctoritas, quae antiquae consuetudini tribuitur, est rationi et iuri maxime consentanea. Ubi enim ita obscurata, et circumfusa tenebris sunt omnia, ut a quo Ecclesia fundata, qui limites constituti, quae auctoritas concessa, et alia id genus, sciri non possint, rectissime statutum est, antiquam consuetudinem ratam et firmam servari oportere, non quod consuetudo sit causa iurisdictionis, sed quod signum est, omnia, ut nunc sunt, ita fuisse ab initio, vel postmodum legitime constituta. Atque huc spectat regula iuris 45 in sexto: « Inspicimus in obscuris, quod et verisimilius; » et notissima regula 65: « In pari causa potior est conditio possidentis. »

Sequitur alia quaestio, an scilicet per consuetudinem iurisdictio quoque ecclesiastica acquiri pos-

sit? Hactenus enim dictum est, consuetudinem valere ad iurisdictionem retinendam, nunc vero quaeritur, an etiam ad acquirendam valeat, videlicet, an ex facultatibus, quae ad solum Summum Pontificem iure communi pertinent, ex. gr. relaxandi aliqua impedimenta publica matrimonium dirimentia, concedendi veniam aetatis ad Ordines et Beneficia, et alia huiusmodi, eas Episcopi exercere legitime possint, quando constat eorum praedecessores easdem exercere diuturno tempore consuevisse? Hac de re inter Theologos et Canonistas disputatum est, cum olim aliquot Galliarum Episcopi, freti antiqua consuetudine et usu suorum praedecessorum, publica impedimenta quarti atque etiam tertii gradus consanguinitatis, et affinitatis matrimonium contrahendum dirimentia relaxarent. In hac vero quaestione pro Episcopis steterunt Gibertus suarum Consultationum tom. 12, consult. 59 de matrimonio; Pontas in suo Dictionario casuum conscientiae verbo *Dispensatio matrimonii*, casu 35; Van Espen Iur. eccl. universi part. 2, tit. 14, cap. 1, n. 12; Natalis Alexander Theolog. dogmat. et moral. lib. II, de matrimonio, cap. 4, art. 13; aliique. Iam vero Natalis Alexander cit. loco regula 11 et 12: « Cum, ait, ab Ecclesia universa, sive ab illius capite Romano Pontifice sint instituta impedimenta matrimonium dirimentia, dispensatio super eis communi iure ad Caput universalis Ecclesiae, Romanum Pontificem, non ad Episcopum pertinet, ut colligitur ex cap. « Cum inferior » de maiorit. et obed., Conciliaque provincialia plurima, Ritualia ecclesiarum, Auctores omnes id confirmant, et auctoritatem dispensandi competere negant Epi-

scopis, cum publicum impedimentum est, vel de contrahendo matrimonio agitur. Si tamen antiqua sit et legitime praescripta Dioecesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu etiam de contrahendo certis in casibus dispenset, quia eius decessores hac usi sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quae a Sede apostolica concessa creditur, quod in quibusdam Galliarum Dioecesibus fieri novimus, de his dispensationibus haud movenda lis est; siquidem consuetudo legitime praescripta iuri positivo praeiudicat, ususque longaevi non levis est auctoritas, ut dicitur cap. « Cum consuetudo » et cap. « Cum tanto de consuet. »

Verum haec opinio, quae consuetudini tantam vim tribuit, quamvis a Natali Alexandro moderate admodum proposita fuerit, multos tamen Doctores invenit, qui contra sentirent. Rigantius tom. IV. Commentarior. in regul. cancellar. in notis ad reg. 49, num. 1 et 2 multa congessit, et sacrarum Congregationum responsa, et Doctorum testimonia, quibus ostenderet, nunquam Episcopis licere publica impedimenta matrimonium dirimentia auctoritate propria relaxare. Ad eamdem sententiam confirmandam Cabassutius in theor. et prax. Iur. canonic. lib. III, cap. 27, n. 6 affert canones Conciliorum Turonensis et Tolosani, et animadvertit in conflictu opinionum eam vim consuetudinis saltem in dubium vocari merito posse, ideoque concludit: « Sane istae ab Episcopis concessae dispensationes pro contrahendis coniugiis aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere. » Benedictus vero XIV de Synodo

Dioecesana lib. IX, cap. 2, iisdem ferme argumentis usus est ad eam consuetudinem refellendam. Ad eos autem, qui obiiciunt, consuetudinem rite praescriptam iuri communi derogare, « etiam dato, respondit, in aliquam Dioecesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum ius auferendi impedimenta a Conciliis oecumenicis, aut Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti, ne superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. Quin imo cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda, et minuenda iura uni competentia Romano Pontifici, praeter caeteras conditiones necesse est, ut centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione perseveraverit. Quocirca citatus Van Espen Iur. eccl. univer. part. 2, tit. 14, cap. 1, num. 11, ut Episcopo Leodiensi auctoritatem adstruat dispensandi in tertio et quarto, et in tertio hinc inde consanguinitatis, seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, eiusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cuius initii memoria non extet, confugit auctor Collationum parisiensium tom. III, collat. 2, §. 2. Verum postremo et potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, DIRUMPATUR NERVUS ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE: in quo eventu nunquam per eam adversus legem praescribi declaravit Innocentius III in cap. « CUM INTER » de consuet. Num porro

praedicta consuetudo eiusmodi inficiatur vitio, potius quam a nobis, praestat audire a Gallicano auctore Cabassutio in Theor. et Prax. Iur. canonic. lib. III, cap. 27, num. 6. » Ibi autem Cabassutius permulta, eaque gravissima detrimenta recenset, quae ad vigorem ecclesiasticae disciplinae labefactandum ex huiusmodi consuetudine proficiscuntur. His igitur de causis, Benedicto XIV, aliisque Doctoribus visum est Episcopis non licere praetextu, vel ratione consuetudinis etiam immemorabilis ullum impedimentum relaxare.

Quoniam vero quaestio, quam initio posuimus, non solum spectat facultatem impedimenta matrimonii relaxandi, sed generatim eas facultates, quae iure communi ad summum Pontificem pertinent, reliquum est, ut dicamus earumdem facultatum quas, et quatenus Episcopi per consuetudinem acquirere valeant. Qua de re duae sunt Doctorum sententiae. Prioris sententiae patroni sic aiunt: potestates, quae ad Summum Pontificem iure communi pertinent, certum est ad ipsum pertinere, quia suprema in universa Ecclesia potestas est: atqui facultates et iura supremae potestatis praescribi minime possunt: « Contra Papam, ait Suarez in Defens. fid. catholic. l. IV, cap. 34, num. 17, nemo praescribere potest in his, quae ad supremam eius potestatem pertinent. Nam, ut recte dixit Innocentius capite secundo de postulat. Praelat. QUIA PAPA CIRCA SPIRITUALEM POTESTATEM OMNIA POTEST, ET PLENITUDINEM POTESTATIS HABET, NULLUS POTEST QUAERERE POSSESSIONEM, QUAE EI PRAEIUDICET, CUM EAM HABEAT A DOMINO TANTUM. Idemque docuit Glossa in cap. « CUM NOBIS DE PRAESCRIPT. » ubi Panormitanus n. 11 et 12 eam

valde commendat, et in cap. « Si diligenti, » eodem titulo n. 11. » Igitur si hos Doctores audiamus, omnis consuetudo, etiam immemorabilis, si apostolico privilegio, de quo plane constet, non fulciatur, omni vi et effectu caret.

Altera vero sententia, quae plurimos habet auctores, haec est: consuetudine immemorabili facultates ad Romanum Pontificem, iure communi pertinentes, acquiri posse, cum in ea privilegium apostolicum interfuisse iure praesumatur. « Maius difficultatis momentum, ait Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. XIII, cap. 8, num. 21, vertitur circa privilegia praesumpta, hoc est ex immemorabili consuetudine petita. Aliqui enim, quorum agmen ducit Ostiensis in cap. « Cum contingat, » de foro competen., vim hanc immemorabili inesse pernegant. Contra vero alii docent: ita post Archidiaconum docet Ioannes Andreas in cap. « Cum Episcopus » sub num. 1 de Offic. ordinarii in 6, hisque assentitur Fagnanus in cap. « Nullus » num. 22 de Parochiis. Porro haec opinio in antecedenti decreto anni 1721, ac in successivis nostris apostolicis Constitutionibus fuit comprobata; inest quippe immemorabili consuetudini ipsa etiam apostolica auctoritas, quoniam is, qui eiusdem praesidio fulcitur, potest quodcumque privilegium apostolicum allegare. » Decretum autem an. 1721 est huiusmodi. Proposito dubio selectae Congregationi EE. Cardinalium et Praesulum, « an ad tramites sacrorum canonum, sacrique praesertim Concilii Tridentini, possit inferior Praelatus territorium separatum, et iurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in Clerum et populum cum ipsius Episcopi exclusione in aliquo speciali loco

acquirere per quadragenariam praescriptionem cum titulo colorato? eadem Congregatio, cunctis suffragiis, ita rescripsit: « Unanimiter respondemus non posse; sed pro acquisitione territorii separati, praedictaeque iurisdictionis omnino requiri aut clarum et undequaque subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam apostolicum privilegium de iure praesumi valeat. » Quod quidem decretum a Clemente XI probatum confirmatumque, deinceps in eius Bullarium relatum est. Ex quibus apertissime liquet in consuetudine immemorabili « cum suis omnibus requisitis rite probata » eamdem aeque, ac apostolico privilegio « claro, et undequaque subsistente » vim et efficacitatem inesse, proindeque consuetudinem immemorabilem per se valere ad facultates, de quibus agimus, acquirendas; consuetudines vero non immemorabiles sine privilegio apostolico nullius momenti esse. « Est autem, ait Benedictus XIV in sua Constitutione 33, Bullarii tom. 2, « de essentia immemorabilis consuetudinis, ut nihil contra eam auditum unquam, vel dictum, aut factum fuerit. »

Hic vero nonnulli auctores contendunt in iis quoque disceptationibus, quae inter Sacerdotium et Imperium existere quandoque solent, immemorabilis consuetudinis rationem habendam esse, idque putant ad concordiam utriusque potestatis vel maxime conducere. Quae vero sint, hac de re, Doctorum sententiae, quibusve rationum momentis unaquaeque earum nitatur, breviter accurateque exponit De Marca in opere de Concordia Sacerd., et Imperii lib. III, cap. 9, num. 6, ubi ita disse-

rit: « Novo iure Decretalium addita est alia exceptio, nempe ut inutiles habeantur omnes consuetudines, quae aliquo pacto libertatem, et immunitatem ecclesiasticam violant, id est quae Principibus laicis potestatem quamdam in res, aut personas ecclesiasticas indulgent, quia cum rerum spiritualium tractandarum sint incapaces, ratione destituta censetur consuetudo, quae rerum conditionem evertit, adeoque nullo tempore, etiam immemorabili, vires obtinere potest, ut docent plerique Iuris canonici Interpretes. »

Itaque De Marca, vir ingenuus, aperte fatetur, plerosque Doctores in ea sententia esse. Sed prosequitur: « Hac difficultate se quidam expediunt, adhibita distinctione, ita ut immunitas omnino, et in universum abrogari non possit, vel adeo restringi, ut maxima ordini ecclesiastico fiat iniuria, sed in quibusdam articulis ei derogari possit consuetudine quadam mixta, quae ex Clericorum et laicorum consensu proficiscatur, ut recte observat Covarruvias. Ob quam rationem se forensem Gallorum usum non damnare profitetur de conveniendis Clericis coram iudice seculari in actionibus realibus. Alii vero hunc nodum ita solvunt. Fatentur ex possessione immemorabili nec praescriptionis, nec consuetudinis titulo, rerum spiritualium administrationem laicis acquiri posse; attamen ex consuetudine praescripta, per possessionem illam immemorabilem, instrui probationem privilegii a Summo Pontifice concessi. Itaque aiunt in hac specie sufficere, ut allegetur titulus, id est privilegium a superiore indultum. Eius enim probatio sola possessione centenaria, vel immemorabili, conficietur, etiamsi nulla exhibeatur privilegii ta-

bula. Morosiores requirunt ad summum probationem famae, quae doceat privilegium illud concessum fuisse, quamvis haec conditio a multis necessaria non esse dicatur. In eum autem finem requiritur privilegii allegatio, ut constet, aut saltem censeatur, laico idoneitatem vel capacitatem rei ecclesiasticae tractandae indultam fuisse a Summo Pontifice. »

Hac de re satius videtur nobis aliqua animadvertere, quam disputare. In primis itaque animadvertimus eam consuetudinem, quae mixta appellatur, nihil firmitatis et roboris acquirere ex consensu Clericorum, cum agatur de immunitate ecclesiastica, seu de privilegiis Ordinis clericalis, quibus per canones non licet renunciare. Nam immunitas Clericorum a foro seculari, seu privilegium fori, ut ait Innocentius III in cap. « Si diligentia » de foro competen., « non est beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio ecclesiastico publice est indultum, cui privatorum pactio derogare non potest. » Idem, ante Innocentium III, decretum fuerat a Conciliis Toletano III, cap. 13, et Carthaginiensi III, cap. 9. Ob eamdem rationem non licet Clericis privilegio Canonis renunciare, ut Clemens III. Archiepiscopo Bracarensi respondit cap. « Contingit » de sentent. excommunic. « Cum ille canon, ait, non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus, ideo et volumus, et mandamus, ut id de caetero prohibeas attentari. »

Secundo loco animadvertimus in iis, quae neque naturali iure, neque divino continentur, consuetudinem immemorabilem ea vi praeditam esse, quam ei De Marca tribuit, idque ob privilegium

apostolicum, quod initio interfuisse praesumitur, dummodo huiusmodi consuetudo rite praescripta, et praesertim cum aliqua fama, et opinione privilegii coniuncta fuerit, quo magis magisque legitima eius origo confirmetur.

Tertio denique animadvertimus, si qua hisce de rebus controversia inter utramque potestatem oriatur, sciri oportere, quinam legitimi iudices habendi sint. Auctor Commentarii *De finibus utriusque potestatis* cap. 13, num. 12 et seqq. tria causarum genera distinguit. Ait enim: « Vel quaeritur de iuribus, quae ad solam Ecclesiam pertinere constat ex divinis oraculis, et ex traditione; vel dissidium est circa eas res mixtas, quas vetus possessio vindicavit Ecclesiae vel Imperio; vel demum ambigitur, utri partium res debeatur, quae in controversiam venit. Si de primo causarum genere agatur, audire oportet Ecclesiam, cui soli divinitus commissa est iuris divini interpretatio; et tunc Rex, velut ovis et filius Ecclesiae, fidem habere eidem debet, ne secus agendo terminos sibi divinitus constitutos temere mutet. Si vero vetus Possessio rerum mixtarum fuerit violata, postulant iustitiae leges sua possidenti servari iura. Denique si dubium sit, utri partium sit causa adiudicanda, neque finiri quaestio possit, vel iure divino, vel ex possessione, tunc oportebit mutuis consultationibus, ac aequa compositione omnem controversiam tollere, eo saltem modo, quo cum aliis summis Imperantibus fit. Neque enim decet causam Ecclesiae esse deteriorem quam alterius Principis. »

Vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. IX cap. 9; Franciscum Suarez in defensione fidei catholicae lib. IX cap. 34, n. 17, Commentarium de finibus utriusque potestatis cap. XII et XIII; De Marca cit. loco; Covarruvias practic. quaestion. cap. 7, §. 5, aliosque a dictis auctoribus citatos.

§ 28.

De cessatione legis per dispensationem.

Hucusque indicavimus modos quibus lex cessat pro tota communitate: nunc aliqua addenda sunt de dispensatione, ob quam lex ipsa pro aliquibus tantum particularibus personis provide relaxatur. Iam vero dispensatio a solo legislatore, eiusque successore concedi potest; nam leges solvi nequeunt, nisi ea auctoritate, qua conceduntur; quam veritatem superius agentes de abrogatione legis, satis demonstrasse arbitramur. Hinc Episcopi *ordinaria potestate* dispensare generatim non possunt super irregularitatibus, impedimentis matrimonium dirimentibus, votis solemnibus, et votis reservatis, aetate ad Ordines requisita, aliisque legibus, quae a Concilio generali, aut a summo Pontifice rogatae sunt, et si forte aliquam dispensationem huiusmodi Episcopi concesserint, non illicita solum, sed etiam invalida prorsus habenda est.

Nonnulli tamen doctores, inter quos accensendi sunt Van-Espenius dissert. Can. de Dispens. cap. 1, § 7, et Berardi in op. Comment. in I. C. U. t. 1, Venetiis 1778, diss. 4, c. 2, episcopalem iurisdictionem ex alia parte ultra praescriptos limites protenderunt, eo fundamento praeiacto, quod nempe potestas super generalibus Ec-

clesiae legibus dispensandi Episcopis interdicta sit in iis dumtaxat casibus, in quibus dispensatio ipsa solo Romano Pontifici expresse reservatur; in caeteris autem casibus integrum eisdem Episcopis esse super legibus a superiori auctoritate latis dispensationem concedere, si conditor ipsarum legum eam sibi non reservaverit. Et pro hac sententia affertur textus in cap. Nuper de sententia excommunicationis, ubi dicitur: « Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. » Hanc vero sententiam manifeste falsam esse tum ratione, tum auctoritate demonstratur. Ratione quidem; etenim ratio ipsa et naturalis rerum ordo dictant, inferiorem in legibus superioris, etiamsi id superior non prohibuerit, potestatem exercere non posse, quoniam statim ac superior aliquid per suam legem praescribit, facto ipso demonstrat illud ab ordinaria inferioris potestate subtrahere: unde apud nonnullos auctores axiomatis loco est: « dispensationes non esse ex his, quae competunt, si non prohibeantur, sed ex his, quae non competunt, nisi concedantur. »

Auctoritate vero; etenim in cap. Dilectus de temporibus ordinationum ita expresse statutum et definitum habemus: « Cum illi (Episcopo) huiusmodi dispensatio a canone minime sit permissa, ipsi obtemperare non debuit, in hac parte. » Clariores etiam, nullique cavillationi obnoxii ad nostram sententiam corroborandam adsunt alii textus in Iure canonico, quales prae ceteris sunt in Clement. *Ne Romani* de Elect., et cap. *S. Romana* de Religiosis domibus, inter Extravag. Ioan.

XXII. Praeterea, ut bene animadvertit Fagnanus in cap. *Nimis* de fil. praest.: « Mos sacrorum Canonum et Conciliorum est fere ubique simpliciter praecipere aut prohibere quid faciendum sit vel non faciendum: raro autem descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde si liceret Episcopis dispensare, quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate totum ius commune et concilia universalia subvertere in singulis casibus dispensando, quod est erroneum asserere. » In hanc sententiam sic recte ratiocinatur P. Engel de min. et obed.: «Frustra canones expresse illam facultatem dispensandi in certis casibus concederent, si alias de iure Episcopo competeret.»

Textus vero, in cap. *Nuper* de Sent. excommunic., quo adversariorum opinio nititur, nullum praeiudicium affert sententiae, quam tuemur. Ibi enim agitur de absolutione a censuris, quae, ut in ipso capite dicitur, nisi fuerit reservata, poterit a suo Episcopo, vel a proprio sacerdote obtineri. Iam enim 1° in eo canone non de legibus relaxandis, sed de absolutionibus a censuris ac peccatis disceptatur, quae duo maxime differunt. Absolutione enim a peccatis et censuris non derogatur legi; dispensatione vero lex vulneratur, sive, ut ait Suarez de leg. l. 6, c. 14: « Absolutio non est contra, aut praeter legem superioris, sed secundum illam, dispensatio autem derogat legi. Vide Thomass. p. 2, sect. 2, cap. 13, et Bened. XIV de Syn. l. 9, c. 4, n. 5. 2° Si quod dicitur de absolutione extendendum foret ad alias materias, consequeretur, non solum Episcopum, verum etiam Parochum in legibus Ecclesiae gene-

ralibus, nisi fuerint specialiter reservatae, dispensationem concedere posse, quod certe nemo dixerit. Speciale igitur illud est in censuris, ut cum poenae medicinales sint, et ex mente Ecclesiae temporariae, absolvi et relaxari queant tum ab Episcopo, tum a legitimis sacramenti poenitentiae Ministris, nisi expresse fuerint reservatae; reliquae autem Ecclesiae leges, quae a Conciliis Generalibus, vel a Summo Pontifice originem habent, a sola ipsius Summi Pontificis auctoritate solvi possunt.

CAPUT III.

DE FONTIBUS IURIS CANONICI

§ 29.

De horum fontium numero.

Postquam de quatuor generibus praeceptorum, quibus Ius Canonicum universum constat, de praeceptis nempe naturalibus, sive moralibus, de praeceptis divinis positivis, de Apostolorum institutis, deque ecclesiasticis Constitutionibus actum est; fontes aperiamus oportet, ex quibus illa praecepta eruuntur.

Fons proprie locus est, ex quo aqua fluit, sive oritur; unde hoc nomine utimur in scientiis ad origines rerum significandas. Quare si, hoc sensu stricte accepto, fontes Iuris Canonici exquiramus, tres solummodo inveniemus, Deum nempe, qui primarius fons et auctor est omnis Ecclesiae potestatis, deinde, potestate ab eo communicata, Apostolos, et demum Summos Pontifices sive solos, sive cum Episcopis in Conciliis generalibus; quoniam non aliae in Ecclesia leges esse possunt, nisi quae ab hisce fontibus oriantur.

At vero Canonistae in sensu latiori fontes appellant ea loca, quae auctoritatem, et usum habent in Iure Canonico, et unde praedicta omnia ipsius Iuris praecepta, tamquam ex propria sede et domicilio hauriuntur.

Huiusmodi vero fontes saltem praecipui numerantur quinque sequentes.

Primus, et nobilissimus est divina Scriptura, quae veteri et novo Testamento continetur. Plurima quidem sunt in iure canonico capita, quae divinarum Scripturarum verba, eorumque sententias nobis exhibent, adeo ut vix ullus sit sacrorum Bibliorum liber, ex quo non multa in Ius Canonicum loca translata fuerint. *Moralia* certe praecepta, quae in Iure Canonico proponuntur, ex sacra Scriptura desumpta fuerunt, quam s. Gregorius M. lib. 2. Moralium cap. 1, « *Speculum* appellavit, *in quo foeda et pulcra nostra cognoscimus.* » *Praecepta divina positiva* ex novi Testamenti libris eliciuntur: *Apostolica* vero *Instituta* ex Epistolis et Actibus Apostolorum.

Quoniam vero non omnia, quae Christus et Apostoli docuerunt in divinis Scripturis continentur, sed plurima etiam sine scripto vel ipsius Christi ore ab Apostolis accepta, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus tradita, ad nos usque pervenerunt, idcirco secundus Iuris Canonici fons, pari pietatis affectu, ac reverentia, non secus ac divina Scriptura suscipiendus, erit Traditio, a qua multa praecepta divina positiva, atque Apostolica Instituta petenda sunt.

Tertius et quartus fons sunt Concilia, et Pontifices Summi, ex quibus habemus Constitutiones ecclesiasticas, sive eas, quibus Scripturarum et Traditionis catholicum sensum nobis proponunt, aut explicant, sive eas, quibus ecclesiasticam disciplinam moderantur.

Quintus sunt Sanctorum Patrum scripta, quo-

rum plurima dicta, atque sententiae passim in Iure Canonico usurpantur.

Quibus tamen sextum etiam fontem adiungamus oportet, ius civile scilicet; propterea quod ex iis, quae ad exteriorem Ecclesiae politiam spectant, multa ex romanis legibus sumpta in Ius Canonicum translata fuere.

Tandem vero, ne quid operi desit, quemadmodum ex his fontibus facta deductio sit, postremo loco explicabimus; hoc est de Iuris canonici Collectionibus eiusque adminiculis disseremus. In hoc capite itaque erit sermo 1° de Scriptura; 2° de Traditione; 3° de Conciliis; 4° de SS. Patribus; 5° de Romanorum Pontificum Constitutionibus ac Rescriptis; 6° de Iure civili.

§ 30.

De Sacrae Scripturae divinitate.

Scriptura sacra definiri potest: verbum Dei scriptum, ipso afflante seu inspirante. Dicitur primo verbum Dei, atque in hoc convenit cum traditionibus divinis, quae etiam verbum Dei sunt. Dicitur secundo scriptum, ut ab iisdem traditionibus divinis distinguatur: hae enim non fuerunt, Deo afflante, scripto traditae, sed voce dumtaxat. Dicitur tertio, ipso afflante, seu inspirante, quibus terminis Scriptura divina a definitionibus Ecclesiae in materia fidei et morum discrepare comperitur. Definitiones enim Ecclesiae licet sint verbi Dei explicationes, Spiritu sancto assistente conscriptae, haud tamen in divinorum librorum canonem referri possunt, quia scriptis traditae

non sunt, eodem sancto Spiritu afflante, seu inspirante.

Ut haec plenius intelligantur, praemittendum est triplici pacto posse sacri scriptoris mentem sancto Spiritu affici, *revelatione* nempe, *inspiratione* seu afflatu, et *peculiari* ut aiunt, *assistentia*. Revelatio proprie est veritatis antea ignotae facta divinitus manifestatio; inspiratio, seu afflatus, est incitatio quaedam, motusque insolitus, quo Deus scriptorem interius ac libere simul excitat et impellit ad scribendum, et ad delectum eorum, quae vult, ut ab eo scribantur. Assistentia tandem est singulare Spiritus S. auxilium, quo fit, ut sacer scriptor nihil unquam falsi scribere possit.

Revelatio scriptoribus sacris haud semper facta est, et sane nulla necessitas fuit, ut ipsis ea manifestarentur, quae vel oculis viderant, ut Moyses Aegyptiorum plagas, Iosue Israëlitarum victorias, S. Ioannes Evangelista Christum pendentem et morientem in cruce, vel quae ex testibus fide dignis acceperunt, quod de se ipso S. Lucas fatetur c. 1 Evang. v. 2. Aliquando tamen necessaria fuit sacris scriptoribus revelatio, cum nempe ea scripserunt, quae absque revelatione scire nullatenus potuissent; ut Isaias virginem esse parituram, Christum multa passurum, et caetera huiusmodi, quae a sacris scriptoribus, praecipue vero a Prophetis conscripta fuerunt.

Sola vero specialis Spiritus S. assistentia scriptoribus sacris non satis fuit, alias, ut supra innuimus, definitiones ecclesiasticae de fide et moribus in censum SS. SS. referendae essent, siquidem specialis illa assistentia Ecclesiae definitionibus numquam deest; sed praeterea etiam divina inspiratio

seu afflatus in eis admittendus est, unde s. Petrus Ep. 2, c. 1 ait: « Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia (idest S. Scriptura) sed Spiritu sancto inspirante, loquuti sunt sancti Dei homines » graeco textu « Spiritu Sancto acti et impulsi; » et S. Paulus II ad Tim. III, 16: « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum. »

§ 31.

De Libris Sacrarum Scripturarum.

Generalis sacrae Scripturae divisio est in *vetus* et *novum Testamentum*. Vetus eos complectitur libros, qui ad legem a Moyse promulgatam et ad Iudaeorum Synagogam spectant. Novum autem eos continet, qui ad legem Christi Domini, atque ad Ecclesiam pertinent.

Testamenti autem vox hic accipitur pro foedere et pacto, quod inter Deum et homines, ante scilicet et post Christi adventum initum est, et intercedente morte confirmatum, quod nomen apprime ex divo Paulo convenit novo foederi, quod morte Christi confirmatum est; sed nomen illud convenit etiam vetusto foederi, quod morte animalium, in typum mortis Christi, firmatum est. Ratione vero materiae, sive rerum, quae in iis tractantur, libri utriusque testamenti dividi solent in legales, historicos, sapientiales, et propheticos, de quibus passim apud theologos.

Ecclesia catholica septuaginta duos libros pro sacris et divinis recipit, videlicet quadraginta quinque veteris, et viginti septem novi Testamenti

quos Tridentina Synodus recenset omnes nominatim sess. IV. in decreto de Canonicis Scripturis, verbis his: « Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenôn, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum primus et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli. » Ex hisce libris alii Proto-canonici, qui primo, alii vero dicuntur Deutero-canonici, qui postea in canonem relati sunt. Eadem tamen omnino est in catholica ecclesia auctoritas, quandoquidem eadem s. Synodus continuo addit: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. »

S. Scripturae autographa seu originalia hodie habemus nulla, sed solum apographa, seu exemplaria varia, editionesque varias, diversa lingua et diversis temporibus, adornatas. Inter graecas, quae a Bellarmino de verbo Dei l. 2, c. 5, decem enumerantur, principatum tenet versio, quae LXX nominatur, quam nempe duo et septuaginta seniores Iudaei, seni ex qualibet tribu utriusque linguae peritissimi, hebraicae nempe et graecae, iussu Ptolomaei Philadelphi Aegyptiorum Regis, ab Eleazaro Iudaeorum pontifice ad eum missi ediderunt. Inter latinas autem, quas fere innumeras fuisse monet S. Augustinus, duae potissimum magnam in Ecclesia venerationem consequutae sunt, una videlicet *antiqua*, incertique auctoris opus, quam *italam*, quia *latinam* vocat S. Augustinus, *communem* S. Hieronymus, *veterem* S. Gregorius M., Orosius vero et omnes occidentis Ecclesiae *vulgatam* appellant, quia illius ubique vulgaris et frequentissimus usus est. Est autem huiusmodi versio prae caeteris aliis *verborum tenacior*, ut notat idem S. August. l. 2 de doct. Chr. c. 15. Altera vero post hanc vulgatam a divo Hieronymo elaborata est, qui iussu s. Damasi Rom. Pont., ut ipse fatetur, novum Testamentum graecae fidei reddidit, vetus autem ex hebraeo in latinum transtulit.

Ex huiusmodi autem S. Hieronymi laboribus, quid fuerit transfusum in nostram vulgatam versionem, de qua Conc. Trident., non una est sententia. Quidam opinati sunt eam haud aliam esse ab antiqua illa versione, quae itala appellata est. Putarunt alii totam S. Hieron. ipsam nostram vulgatam versionem esse adscribendam. Verosimiliora

forte sentiunt, qui partim ex Hieronymi, partim ex aliorum versionibus, et maxime ex itala conflatam fuisse contendunt. Quidquid tamen de hisce opinionibus sit, haud ambigendum est ex cunctis versionibus latinis eamdem nostram vulgatam versionem legitimam et àuthenticam constitutam et declaratam esse ex Conc. Trid. his verbis: « Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, Sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat. » Quo in decreto, ut consideranti facile patebit, nulla inter textum hebraicum vel graecum veteris aut novi Testamenti, et vulgatam ipsam comparatio fit, nec illis textibus auctoritatem derogat S. Synodus. Mens itaque eius haec dumtaxat fuit, ut declararet, quaenam ex omnibus latinis editionibus, quae tunc circumferebantur, authentica habenda esset, eamque declaravit veterem vulgatam, in iis nempe, quae ad fidem et mores spectant, adeo ut si qua morem et fidei quaestio inter catholicos exoriatur ea definiri per latinam hanc veterem editionem recte possit. Insuper authenticam declaravit in omnibus suis partibus, quo significavit in omnibus sententiis et factis esse inconcusse tenendam, non ita tamen ut authenticà etiam sit in singulis verbis, nullumque omnino erratum, aut levior menda in ea reperiatur. Deinde « statuit et declarat ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat. » Ex quo

prono alveo descendit hanc editionem nullius erroris sive in doctrina fidei ac morum, sive in rebus substantialibus argui unquam potuisse, ac posse.

Vide Vincenzi sess. 4 Conc. Trid. vindicata seu introductio in SS. deuteroc. V. T. Romae 1842 — 1844. Brunati diss. bibliche, Diss. III « del nome dell'autore della vulgata. » Milano 1838.

§ 32.

De usu et auctoritate Veteris Testamenti in Iure Canonico.

Vetus Testamentum tribus praeceptorum generibus constat, *moralibus*, *caeremonialibus*, et *iudicialibus*. Certum vero exploratumque est praecepta moralia in veteri Testamento tradita semper vigere, quoniam praecepta sunt ipsius iuris naturalis prorsus immutabilia, quae proinde Christus non sustulit, sed clarius evolvit, confirmavitque. Praecepta vero *caeremonialia*, quae divinum cultum, sacrificia, sacrosque ritus moderabantur, quo etiam spectabant ea, quae ad publicum Synagogae statum, eiusque sacerdotium pertinebant, et *iudicialia*, quae civilem Hebraeorum politiam constituebant, iam irrita facta sunt: caeremonialia quidem, quando sacerdotium translatum est, et novum Testamentum morte Testatoris obsignatum; iudicialia vero, postquam respublica Hebraeorum sine ulla restitutionis spe omnino desiit.

Quae cum ita se habeant, videndum est, num ex abrogatis veteris Testamenti praeceptis caeremonialibus, et iudicialibus, argumentum in canonica iurisprudentia validum, atque efficax sumi

possit? nam quod attinet ad praecepta moralia, nemo certe dubitat, quin ex eis argumenta firmissima ducantur.

Iam vero cum utrumque Testamentum inter se nexum iugatumque sit, tum quia alterum alterius umbra et simulacrum fuit, tum quia alterum alteri suffectum est, Canonistae, sine ulla controversia, sentiunt, argumenta ex veteri Testamento deprompta non parum valere ad multa ecclesiasticae iurisprudentiae capita illustranda, et amplius confirmanda. Sed praesertim ex statu publico synagogae, eiusque sacerdotio, ad statum Ecclesiae, nostrumque sacerdotium potest argumentum duci, quandoquidem sancti Patres hoc argumento saepius usi sunt. Sic pro dignitate Levitarum, et Sacerdotum novae legis argumentatur s. Leo M. serm. 8 passion. Dom. cap. 8; sic pro continentia Clericorum, sacroque caelibatu S. Hieronymus contra Iovinian. lib. 1, num. 34; sic alii Patres, et passim S. Cyprianus in suis epistolis. Itaque dogma de distinctione inter Clericos et Laicos ex lege veteri mirifice confirmatur, instituto argumento a pari, ut aiunt, vel etiam a fortiori; quare Schmetterer Introduct. in Ius canon. diss. II, cap. 2, § 37, « Si eadem, inquit, aut maior ratio adhuc pugnat pro lege nova, quam obtinuit pro Testamento veteri, bene ab hoc ad illam argumentaberis. » Sic etiam in quaestionibus explicandis solvendisque, recte utimur Testamento veteri. « Si quae sunt quaestiones controversae, ait Zallwein de Princip. Iurisprud. Eccles. tom. I, quaest. 2, cap. 2, quae nec ex Scriptura, nec ex Traditione decidi possunt, et una ex sententiis controversis habeat pro se ingentem pro-

babilitatem, haud inepte, licet non convincenter, ex antiquo ad novum argumentaberis Testamentum, si eadem vel maior pugnet ratio. Et hinc argumentum, quo catholici a privilegio fori, et immunitatis sacerdotibus in antiqua Lege competente ad clericorum immunitatem in Lege nova argumentantur, inter catholicos non est ineptum, non tamen convincens. »

Verumtamen non ex omnibus, quae in veteri Testamento scripta sunt, licet argumenta promere. Enimvero quaedam in eo sunt, quae, consummato Christi morte humanae redemptionis mysterio, ita interciderunt, ut sine peccato usurpari amplius nequeant: quaedam etiam non praescripta, neque imperata, sed tantummodo permissa aut tolerata, quaedam denique solius gentis illius regimini consentanea fuerunt. Horum itaque nullus usus, nulla auctoritas est in Iure canonico, nec esse potest. His igitur omissis, ex reliquis veteris Testamenti locis argumenta petenda erunt. Ex quibus insuper Ecclesia Apostolorum vestigiis insistens, ex praeceptis caeremonialibus nonnullos ritus adoptavit, qui divino cultui plus decoris afferunt, cuiusmodi sunt templorum dedicatio, sacrae vestes, thus, lampades, cantus, et alia eiusdem generis; ex iudicialibus vero deprompsit cap. I de homicidio, c. I et II de adulterio et stupro, c. I de furtis, c. I, II, III, IV et V de iniuriis, et huiusmodi alia. Si quis vero, quod protestantes faciunt, aliquem Hebraeorum ritum, vel aliud disciplinae caput, quod Ecclesia accepit, tanquam superstitiosum, iniquum, aut malum irrideat et condemnet, auctoritate ipsius Testamenti veteris falsa criminatio facile propulsabitur, cum Deus Hebraeorum

genti praescribere nihil potuerit quod malum esset, aut aliquam superstitionem, vel impietatem contineret.

Porro Iudaeorum leges in corpus Iuris canonici receptae, et, ut aiunt, canonizatae, non tanquam leges divinae, sed tanquam leges ecclesiasticae, sive auctoritate ecclesiastica receptae, confirmataeque habendae sunt: nam, ut optime scripsit Zallwein tom. I. Princip. Iur. Eccles., « leges istae non habent vim obligandi, vi institutionis divinae, quae cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiae eas libere adoptantis: » et proinde Ecclesia potest easdem relaxare, atque etiam penitus abrogare.

Diximus « Ecclesiam posse eas leges relaxare. » Hoc loco tirones monendi sunt, quotiescumque in sacris canonibus legerint « Ecclesiam posse, Ecclesiam potuisse, » nomine Ecclesiae non totam fidelium congregationem intelligi, sed tantummodo Ecclesiae Pastores et Rectores, quibus solis omnis ecclesiastica potestas tributa fuit. Hac significatione Ecclesiae nomen usurpatum est ab ipso Christo, dum Matth. cap. XVIII, inquit: « Si eos non audierit, dic Ecclesiae: » quae verba explicans S. Ioannes Chrysostomus ait: « Dic Ecclesiae, id est Ecclesiae praelatis. » Eodem sensu saepe adhibitum est a Concilio Tridentino, veluti cum sess. XXIV, can. 4 ait: « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, anathema sit. »

§ 33.

De usu et auctoritate Novi Testamenti.

Iuris ecclesiastici et publici et privati fons primus et praecipuus est novum Testamentum: « Sane, inquit Zallinger in Inst. Iur. Eccl. cap. V, quae ad Ius Ecclesiasticum publicum pertinent, de fundatione Ecclesiae, de institutione potestatis hie-

rarchicae, de sacro imperio Apostolis atque in primis S. Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad religionem et Ecclesiae gubernationem spectantes... ea omnia ex SS. Scripturis novi Testamenti luculenter sumuntur. Et de iure privato vix tractari quidquam potest, quin idem ex Sacris Litteris erui, confirmari, et illustrari queat. » In eumdem sensum Schram Instit. Iur. Eccles. diss. prooem. habet : « Scriptores novi Testamenti sunt lex fundamentalis et pragmatica status Eccles. Christi. In his stabilitur Ecclesia, Matth. XVI, 18; assumuntur futuri rectores, Luc. VI, 13; praescribitur modus regendi, Luc. XXII, 25, seq.; confertur potestas clavium, Io. XX, 22, seq. concreditur grex dominicus, Io. XXI, 15, seq. indicatur obedientia erga rectores, 2. Thessal. III, 14; instituuntur sacramenta et ritus fundamentales, Io. III, 5; Matth. XXVI, 36, seq.; passim describitur ius credendorum et agendorum. »

At vero videndum est, quis usus, quantaque sit vis et pondus argumentorum, quae ex novo Testamento depromuntur. Qua super re distinguendus in primis est duplex SS. Litterarum sensus, nempe *litteralis* et *mysticus*. Sensus litteralis est, quem verba ipsa ex usitato loquendi modo praeferunt, sive *proprie*, sive *metaphorice* accipiantur. Diximus sive *proprie*, sive *metaphorice* accipiantur, quandoquidem scriptores sacri, sine ulla controversia, tenent sensum verborum sive naturalem, sive metaphoricum, ad sensum litteralem revocandum esse, quatenus metaphorae *sub notione*, ut aiunt, *imaginaria*, satis aperte indicant, quid vere proprieque significare voluerint. Itaque cum Christus Ioan. X, 16, ait: « Alias habeo oves, quas

oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor, » perspicuum est nomine *ovium* eos intelligi, qui ad Ecclesiam adducendi erant, et nomine *ovilis* Ecclesiam ipsam designari.

Sensus mysticus, seu spiritualis est, cum verba praeter litteralem sensum, quem habent, ad aliud quidpiam significandum adhibentur. Sensus vero mysticus in *allegoricum*, *anagogicum*, et *tropologicum* dividitur, de quibus late disputant Theologi. Vide prae caeteris *F. Patrizi* S. I. op. « De interpretatione SS. Scripturarum » Romae 1844, et I. Th. Beelen opusculo, cui titulus « Dissertatio theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacrae Scripturae multiplicem interdum sensum litteralem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur I. Th. Beelen, » Lovanii 1845.

Iam vero quanquam viri docti ac pii, praesertim ad fidei morumque praecepta illustranda, SS. Scripturarum sensibus spiritualibus et mysticis utantur, « certae tamen auctoritatis argumenta habenda non sunt, praeterquam illa, quae ex litterali Scripturae sensu ducuntur. » Ratio manifesta est, quam affert Bellarminus lib. III de Verbo Dei, cap. 3: « Convenit, inquit, nos et adversarios ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est esse sensum Spiritus Sancti; at sensus mystici, et spirituales varii sunt, et licet aedificent, cum non sunt contra fidem et bonos mores, tamen non semper constat, an sint a Spiritu Sancto intenti. »

Quia vero SS. Scripturarum sensus non ita semper apertus est, ut cuivis legenti pateat, hinc

ante oculos perpetuo constituendum est id, quod maxima sapientia, et aequitate Tridentina Synodus decrevit sess. IV: « Nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat. » Ex his breviter et generatim, iudicatis, praestat colligere, primum inter fontes Iuris canonici locum tribuendum esse S. Scripture, seu corpori Iuris divini, eiusque auctoritatem summam et infallibilem esse, cum ipsius Dei veritas sit; unde Sacrorum Canonum cultor eam identidem versare ac suspicere debet, non secus ac praecipuum legum codicem a summo Legislatore confectum, et ex coelesti patria a Domino ad servos, et a Christo ad sponsam, nempe ad Ecclesiam transmissum et commendatum.

Summum igitur iudicium de vero et germano divinae Scripturae sensu penes solam Ecclesiam est; nomine vero Ecclesiae non modo Fidelium omnium concio intelligitur, verum etiam generale Concilium, et Apostolica Sedes; qua de re legendus est Melchior Canus *de locis theologicis*, lib. 12, cap. 6. Praeterea nemini licet contra eum sensum, quem Patres omnes concordissime constantissimeque tenuerunt, sacras litteras interpretari. Verum quae sit, quantaque sanctorum Patrum auctoritas in sacrarum litterarum intelligentia, dicemus infra §. 41.

§ 34.

De divinis et humanis Traditionibus.

Alter iuris sacri fons est Traditio, quo nomine intelligitur doctrina, seu institutio non scripta, sed verbis tradita. « Vocatur autem doctrina non scripta (ait Bellarminus de Verbo Dei non scripto cap. 2), non quia nusquam scripta sit, sed quia non est scripta a primo auctore. Exemplo sit baptismus parvulorum. Parvulos baptizandos, vocatur traditio apostolica non scripta, quia non invenitur hoc scriptum in ullo apostolico libro, tametsi scriptum est in libris fere omnium Patrum. »

Traditionis vero praecipua divisio est, quod nempe alia dicatur simpliciter divina, alia apostolico-divina. Prior est, quae ex ipsius Christi ore immediate profluxit. Altera est, quae ab Apostolis, Spiritu S. afflatis, et ut Christi praeconibus, seu nomine Christi loquentibus, ad nos pervenit. Huiusmodi divisio innititur verbis C. Trid., sess. 4, in decreto de SS. Script. ubi traditionis nomine eae designantur, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.» Humanae vero sunt, quae ab ipsis Apostolis, aut ab eorum Successoribus originem duxere; et proinde in mere *apostolicas*, quae nempe ab Apostolis, ut Ecclesiae pastoribus primitus descendunt (quales sunt quadragesimalis ieiunii institutio, observantia diei dominici, loco sabati, chrismatis renovatio), et simpliciter *ecclesiasticas* dividuntur, quae

scilicet ab Ecclesiae Praelatis vel fidelibus originem ducunt, quales sunt quorumdam festorum solemnitates et observatio, a carnibus, ovibus, abstinentia, cinerum, pulverumque benedictio, et laudabilis formandae crucis consuetudo.

Philipps op. cit. vol. 3, §. 148 haec habet ad rem: « Il y a entre la tradition divine et la tradition apostolique cette grande différence, que celle-ci tire son origine immédiate des hommes ; mais cette origine n'est humaine qu'en ce que le canal a été creusé de main d'homme; quant'à l'eau qu'il transmet, elle jaillit de la source divine. En effet, les Apôtres nous sont garants, que dans les institutions qu'ils ont créées, ils n'ont point puisé dans leur propre volonté, mais transmis fidèlement aux peuples l'économie établie par J. C. »

Veras probatasque traditiones in Ecclesia esse, tum divinas, tum humanas certum est. Et quidem traditionibus apostolicis, et ecclesiasticis Protestantes ipsi non magnopere adversantur, cum quisque facile intelligat, prima Ecclesiae aetate fieri prorsus debuisse, ut multa de sacris ritibus, deque ecclesiastica disciplina ab Apostolis, eorumque Successoribus traderentur. Sed divinis traditionibus inferre bellum ausi sunt, contendentes solam Scripturam unicam esse et absolutissimam fidei morumque regulam ; quorum haeresim Tridentina Synodus sess. IV, anathemate confixit.

De hac catholica veritate Theologi plura dabunt. Ad rem nostram nihil attinet longius progredi. Animadvertendum tamen est, plures ex acatholicis auctoribus in eo mira consensione convenire, ut traditionem tanquam fidei regulam, S. Scripturae adiungendam esse asserant, ac profiteantur. Vide, praeter alios, Brenner Nichtiliche, pag. 91, et auctorem operis germanici: « Illustratio praeiudiciorum adversus Ecclesiam catholicam. »

§ 35.

De usu et auctoritate Traditionum.

Quotiescumque igitur de fide et moribus, de sacris ritibus, deque ecclesiastica disciplina in Iure canonico disceptatur, non modo ex SS. Litteris, verum etiam ex Traditione validissima argumenta petuntur. Horum argumentorum vis et auctoritas varia est pro origine traditionum; alia est enim auctoritas traditionis, quae a Deo, et alia illius, quae ab homine ortum habuit.

Caeterum ad internoscendas *divinas* traditiones ab *humanis*, tum ipsa traditionis materia inspicienda, tum SS. Patrum, in primisque Ecclesiae sententia exquirenda. Hinc quatuor regulae traduntur, videlicet:

I. « Traditio divina est, si eius materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet. »

II. « Pariter traditio divina est, si sit earum rerum, quae humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma Sacramentorum, quia Sacramenta a solo Deo institui potuerunt. »

III. « Sic etiam traditio divina est, si quod praecipit, aut statuit, id consentientes inter se Patres tamquam oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment, ad praeceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere; quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum traditionum. »

IV. « Quidquid denique Ecclesia tanquam di-

vinitus traditum observat, aut docet, nec in SS. Litteris exstat, minime dubitandum est, quin sit divinae traditioni tribuendum; neque enim Ecclesia Catholica hisce in rebus errare potest. »

Conf. Honoratum a S. Maria in animadv. in reg. et usum critices l. 1, diss. 7 et 15.

At vero traditiones divinae non secus ac ipsum Dei verbum scriptum suscipiendae sunt; ipsa siquidem naturalis ratio persuadet, Deo credendum parendumque esse, sive eius verbum per schedam, sive per vivam internuntii vocem promulgetur, cum ratio credendi, atque obtemperandi non sit *littera*, sed *auctoritas* loquentis, nihilque intersit, utrum scripto, an viva voce voluntas Dei sciatur, dummodo certo sciatur. Facile exinde intelligitur traditiones, sive simpliciter divinas, sive apostolico-divinas, immutabiles omnino esse, nullique potestati humanae obnoxias. Sed traditiones apostolicae simpliciter, utpote humanae, non secus ac humanae leges et instituta, servandae sunt, sic tamen ut mutari ab Ecclesia, iustisque de causis abrogari possint.

§ 36.

De Conciliis eorumque definitione.

Concilium, si vim nominis spectes, est hominum multitudo in unum locum ad consulendum congregata. Itaque Concilii nomine in re ecclesiastica venit « conventus catholicorum antistitum ad negotia fidei, morum et disciplinae tractanda rite legitimeque celebratus. » Ex qua definitione con-

sequitur 1° a solis Ecclesiae Antistitibus ecclesiastica Concilia celebrari, non item a laicis, quibus nullum suffragii ius in Synodis esse potest; namque potestas CLAVIUM in solos Antistites divinitus collata est. Sane in Concilio Apostolorum de controversia legalium habito TACUIT OMNIS MULTITUDO, et Apostoli, atque Seniores sententiam dixerunt. Consequitur 2° non omnem coetum Episcoporum legitimum Concilium esse; sed illum tantum, quo debita concilii habendi forma servata sit.

Id vero totum, quod servandum est, ut Concilium rite habeatur, ad tria praecipue capita revocatur, nempe ad *convocationem*, ad *celebrationem*, et ad *confirmationem*, de quibus pertractabimus. Quoniam vero Conciliorum duplex est genus; alia enim generalia sunt, sive oecumenica, alia autem topica sunt, seu particularia; ita de utroque Conciliorum genere dicendum est, et prius ac uberius de Conciliis generalibus disseremus.

§ 37.

De Conciliorum Generalium convocatione.

Ad Concilia generalia universi christiani orbis catholici Episcopi, licet sint solum titulares, vel electi et confirmati, nondum tamen consecrati, vocari debent, exceptis schismaticis, et nominatim excommunicatis, quos non decet veluti iudices sedere, quum potius digni sint, qui iudicentur. At necesse non est, ut omnes omnino conveniant; nullum quippe Concilium hactenus celebratum est, cui universi Episcopi interfuerint. Itaque suf-

ficit aliquot ex diversis Ecclesiae provinciis Episcopos convenire, ita quidem ut eorum conventus, inspectis locorum, personarum, et temporum adiunctis, Concilium generale dici possit.

Ius vero generalem Synodum indicendi ad eum tantummodo pertinet, cuius est iudicare de ipsius convocationis legitima causa; quippe iubere pòtest Episcopos in unum locum venire et convenire, imo et permanere, donec coetus legitime dimittatur. Iam vero illud iudicium, et ea potestas unius Romani Pontificis est, cum ipse unus a Christo sit Princeps et Caput totius Ecclesiae constitutus, et Episcopi omnes eius dicto audientes esse debeant.

Itaque in Concilii Chalcedonensis act. 1 Lucentius Asculanus Episcopus S. Leonis Magni Legatus illud Dioscoro Alexandrino Patriarchae crimini vertit, « quod Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, aut factum est. » Et S. Theodorus Studita ad S. Leonem III ita scribebat ep. 33, lib. 1: « Orthodoxam Synodum absque cognitione vestra cogere non potuerunt. »

Atque hoc quidem Romani Pontificis ius semper catholici omnes agnoverunt, factoque comprobatum est; namque omnia generalia Concilia, auctoritate ipsius Romani Pontificis, convocata fuerunt. Quod si scriptores aliqui memoriae tradiderunt antiquissima Concilia Orientalia ab Imperatoribus indicta fuisse, id omnino factum est ex Summi Pontificis sententia, consensu, aut saltem indulgentia; cuius quidem rei apud Bellarminum, Bianchi, Bartoli, aliosque Theologos perspicua testimonia reperiuntur. Quapropter ea

Concilia ideo legitima sunt habita, quod imperatoris consilium Summi Pontifices probarunt, miseruntque Legatos, qui Synodis praesiderent. Porro haec utriusque potestatis ecclesiasticae, et civilis consensio Synodorum celebrationi mirum in modum favebat, tum quia si qui Episcopi ad Synodum convenire detrectassent, quos Pontificis auctoritas non movisset, Imperatoris, cuius potestas longe lateque per orbem extendebatur, saltem imperium deterruisset, tum quia paupertati Episcoporum sic quodammodo consulebatur: iis enim *tractoriae* ita dictae epistolae dabantur, ut eis vehicula, et annona publicis impensis suppeditarentur, tum etiam quia indictae Synodi Imperatorum tutela munitae pacatius celebrabantur, earumque decreta expeditiorem habebant exitum. Itaque auctoritas convocandae generalis Synodi ad Pontificem pertinebat, exterius autem praesidium ad Imperatorem; illa ad Pontificem spectat ratione Primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam; hoc vero ad Imperatorem ratione officii, quod ipsi incumbit Ecclesiae defendendae.

[1] Bellarminus lib. 1, de Conc. cap. 14 ad secundum et tertium dubium respondet, « in nullo casu sine Pontificis auctoritate posse convocari verum, et perfectum Concilium, de quo hic nos disputamus, quod videlicet auctoritatem habet definiendi quaestiones fidei. Praecipua enim auctoritas est in Capite, sive in Petro, cui imperatum est, ut confirmet fratres suos, et ideo etiam pro eo Dominus oravit, ne deficeret fides eius (Luc. xxii, 31). Poterit tamen in illis duobus casibus (nempe quando Papa non debeat illud indicere, eo quod sit haereticus, vel schismaticus, quod nec contigit unquam, nec unquam continget, et quando non posset illud indicere, eo quod esset captivus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, aut renunciasset) congregari Concilium imperfectum, quod sufficiet ad providendum Ecclesiae de Capite. Ecclesia enim sine dubio habet auctoritatem providendi sibi de Capite, quamvis

non possit sine Capite statuere de multis, de quibus potest cum Capite, ut recte docet Caietanus in opusculo de potestate Papae cap. 15 et 16; et multo ante Presbyteri romanae Ecclesiae in epistola ad Cyprianum, quae est septima lib. 2 in operibus Cypriani. Porro Concilium istud imperfectum fieri poterit, si vel indicatur a Collegio Cardinalium, vel ipsi per se Episcopi in locum unum conveniant. Idem dicito de Pontifice dubio. » Consule, si lubet, Ballerinium de pot. Eccles., SS. PP., et Conciliorum Generalium, et Philipps cit. op. t. 1, c. 6, §. 31.

§ 38.

De Conciliorum Generalium celebratione.

Convocationem sequitur celebratio. De celebratione autem tria quaerenda sunt. Primo quidem, cuinam Conciliis Generalibus praesidendi ius sit; deinde quibusnam sit ius suffragii ferendi; et denique quaenam sit forma, sive ratio in Conciliis habendis observanda?

Iam vero ad illud, quod primo loco propositum est, respondemus, ius praesidendi Conciliis Generalibus ad eum pertinere, qui caeteris auctoritate praestat. Sic videmus in conventibus omnibus eum, qui potestate maior est, caeteris iure suo praeesse. Cum itaque Summus Pontifex propter Primatum, quem a Christo accepit, reliquis Episcopis potestate antecellat, plane consequitur, ius sive per se, sive per suos Legatos, Generalibus Conciliis praesidendi, ad Primatum Ecclesiae pertinere. Nam Episcopi, vel si simul omnes conveniant in unum locum, nil aliud erunt, quam Ecclesiarum singularum Antistites, vel ad summum singulas particulares Ecclesias disiunctas repraesentabunt, Ecclesiam autem universam, quae necessario una est, quamvis multi sint, non poterunt reprae-

sentare, nisi adfuerit inter eos ille, in quo solo centrum est unitatis a Deo collocatum, qui collectionem illam disiunctarum inter se potestatum in se coniungat, praesertim cum nullus Episcopus, praeter Romanum, potestatem in dioeceses alienas ullam habeat, iure divino, adeoque nihilo plus Episcopi per se in unum locum collecti possunt, quam possunt disiuncti. Itaque sine R. P., qui solus centrum est unitatis, conventus fieri poterit Episcoporum, quot libuerit, Concilium autem Oecumenicum nullo modo.

Hinc colliges, quam labili fundamento nitatur eorum opinio, qui putant Episcopos extra Concilium quidem Pontifici obnoxios esse, in Concilio autem esse Pontifici superiores, perinde ac si Ecclesia dispersa, Capite praedita esset, collecta autem esset acephala, et quod Caput *dispersae* erat, idem collectae repente aliud quodvis membrum caeteris subiectum evaderet.

Ad Pontificem etiam spectat ius proponendi ea, de quibus in Conciliis agendum erit, priorisque sententiae dicendae; cuius quidem rei in Concilio Hierosolymitano (Act. XV, 15) Apostolorum exemplum et normam habemus. Vide Catalani Conc. Oecum. c. 4, de Benettis Priv. S. Petri p. 2, t. 3, et Petra Commen. ad Constitut. Apost. t. 2.

Quod vero ad secundam quaestionem attinet, tenendum est, potestatem suffragii decisivi ferendi, seu definiendi solis Episcopis divinitus concessam esse. Cum enim ius definiendi ea, quae credenda, quaeve agenda sunt, a potestate pascendi regendique proficiscatur, ii tantum, qui iure divino Pastores, et doctores Ecclesiae constituti sunt, in

eodem iure divino suffragium ferunt, propositasque quaestiones definiunt. Huiusmodi vero sunt Episcopi soli, quibus dictum est: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Quapropter Episcopi in Conciliis Generalibus non consiliarii, non consultores, sed veri iudices sunt, atque adeo praeclare dictum est a Bellarmino de Conciliis Ecclesiae lib. I, cap. 18, « consessum Episcoporum in Conciliis legitimis esse verum iudicum consessum. » Idque profecto iuris competit, ratione ordinis, unicuique Episcopo, tametsi nullos habeat subditos, in quos iurisdictionem exerceant, quales sunt Episcopi, quos *titulares* vocamus. Requiritur tamen, ut Episcopi non sint schismatici, vel excommunicati; tunc enim nec amplius essent de corpore Ecclesiae, nec iure suffragii potirentur.

Praeter Episcopos solent insuper Cardinales non Episcopi, Abbates, et Praepositi generales Ordinum Regularium suffragium ferre, quippe qui iurisdictione quasi episcopali potiuntur. Sed ex mera Ecclesiae concessione, et privilegio, id factum est, ut quam facultatem vi characteris non habent, eamdem vi dignitatis obtinerent. Parochi nullo suffragii ferendi iure fruuntur, neque ratione sacerdotii, secus esset presbyteris omnibus commune, neque titulo parochialis institutionis, quo non aliae facultates parochis tribuuntur, quam quae ad suas regendas oves necessariae sunt, ut observat Gerdilius in suis ad Ebredunensem Archiepiscopum datis litteris, nomine totius S. C. C. (oper. t. 15, p. 340 edit. Rom. 1809).

Principes insuper, et Imperatores vel per se,

vel per suos Legatos adesse Conciliis generalibus consueverunt, non quidem tamquam iudices, ut vel de fidei dogmatibus, vel de rebus ecclesiasticis sententiam dicerent: « Nefas etenim, aiebat Theodosius Iunior in epist. ad Ephesinam Synodum, qui SS. Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis, et consultationibus sese immiscere; » sed ut Patrum securitati prospicerent, et Conciliorum definitiones, atque decreta, sua auctoritate, tuerentur.

Quin etiam interdum constat, presbyteros et diaconos Conciliis generalibus interfuisse, praesertim ut adversus haereticos disputarent. Qua de re dignus in primis memoratu est Athanasius, qui adhuc diaconus in Nicaena Synodo adversus Arianos disputavit.

Tandem et legitime absentes Episcopi procuratores suos ad Concilia mittunt. Hisce procuratoribus facultatem ferendi suffragii mere consultivi Pius IV impertivit.

Tertio denique loco quaerebatur, quaenam sit forma, sive modus in Conciliis habendis observandus. Iam vero canonica celebrandi Concilii forma in eo posita est: 1° Ut sit libertas in iudiciis; acta enim per vim, et metum, ipso iure, sunt irrita. Hinc Concilium Ephesinum II, in quo sententia a Dioscoro arte, minis, et terroribus extorta est, Synodus praedatoria, latrocinalis, et latrocinium appellatur. 2° Fraus omnis abesse debet; qua de re Patres Ariminenses sic loquentes inducit Hieronymus adversus Luciferianos: « Putavimus sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri ti-

muimus. Decepit nos bona de malis aestimatio. » 3° sufficiens examen; sic enim legimus in Concilio Apostolorum, quod caeterorum omnium, tamquam exemplar esse debet, et norma, de observatione legalium, quae in contestatione venerat, magnam disquisitionem factam esse. Neque enim Ecclesiae fiunt novae revelationes, sed Deus pollicitus est eidem Ecclesiae praesidium suum, ne unquam in veritatibus fidei investigandis, atque definiendis in errorem laberetur. At vero postquam Concilium definivit, nullus dubitandi locus relinquitur, quin Concilium in suis definitionibus diligentiam, et sufficiens examen adhibuerit. Nam, ut optime disserit Melchior Canus lib. V, de loc. theol. cap. 5, quaest. 3, « Deus suaviter omnia disponit, simulque prospicit et finem, et media ad finem necessaria. Quod si semel haereticis hanc licentiam permittimus, ut in quaestionem vocent, num Ecclesiae iudices eam diligentiam, et curam adhibuerint, qua opus erat, ut quaestio via et ratione finiretur, ecquis adeo caecus est, qui non videat, omnia mox Pontificum, Conciliorumque iudicia labefactari? »

§ 39.

De Conciliorum Generalium confirmatione.

Eugenius IV in decreto super unione Iacobitarum: « Suscipit, ait, Sancta Romana Ecclesia omnes universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, ac celebratas et confirmatas. » Non dixit congregatas ac celebratas, sed etiam CONFIRMATAS, ut ostenderet Conci-

lia Generalia, nisi a Romano Pontifice confirmentur, illegitima esse, id est vacua pondere, et auctoritate. Itaque ad robur, ad firmitatem, et complementum Conciliorum necesse est, ut iis, quae definita decretaque a Conciliis fuerunt, Pontifex suo assensu accedat, eaque rata habeat, suaque auctoritate confirmet.

Cuius quidem confirmationis necessitas ex ipsa Conciliorum Generalium notione demonstratur. Namque Generalia Concilia idcirco habentur, non modo ut ea decernantur, quae ad Ecclesiae gubernationem spectant, sed praesertim ut de fidei morumque quaestionibus iudicetur. Iam vero iudicium Episcoporum de fidei morumque quaestionibus, etiamsi ii in Concilium convenerint, non adeo exploratae auctoritatis est, ut errori obnoxium esse nequeat; ideoque haereticus non erit, qui illud in dubitationem vocet, vel etiam ab eo dissentiat. Qua super re Caietanus, Turrecremata, Canus, aliique nobilissimi scriptores mirifice consentiunt. Ut igitur huiusmodi Episcoporum iudicium ad catholicum dogma pertineat, necesse omnino est, ut a Romano Pontifice confirmetur.

Sed aiunt, Episcopos, dum in Generale Concilium congregati sunt, errare non posse, propterea quod Ecclesiam repraesentant, quae est « columna et firmamentum veritatis. » Verum Ecclesia Christi UNA est sub UNO visibili Capite, et idcirco ad ipsius integritatem unio membrorum cum Capite postulatur. Ubi itaque haec unio desit, Ecclesia non erit; hinc a S. Ambrosio, enarratione in psal. 40, num. 30, sapientissime dictum est: UBI PETRUS, IBI ECCLESIA.

Multa sunt alia argumenta, quae hanc senten-

tiam apertissime comprobant; sed paucis contenti erimus. Ac primo quidem, si omnes Christi sermones, quibus sacrum in Ecclesia regimen constituitur, et Petro, Apostolisque aliis demandatur, attente consideremus, numquam inveniemus Christum Dominum verba sua ad Apostolos, sine Petro, caeteros dirigentem; inveniemus tamen Christum ipsum non semel dirigentem uni Petro, adeoque intelligemus Petrum, eiusque successores Romanos Pontifices tantam in regimine illo habere auctoritatem, ut nil possit, Pontifice contradicente, decerni. Secundo, si perpendamus speciatim triplicem Christi Domini sermonem, Matth. c. XVI, Lucae cap. XXII, et Ioan. cap. ult., quo praesertim peculiare Petri munus designatum est, profecto inferre exinde debemus, nihil in procuranda Christi ecclesia decerni posse, quod sine Petri auctoritate supremam vim habeat, quodque, contradicente etiam Petro, ratum habeatur. Namque nec aedificium sine fundamento manere potest, nec quidquam, sine clavibus ligari aut solvi, nec fides, sine praesidio orationis Christi, firma et ab omni erroris periculo libera esse potest, nec possunt agni ab ovibus tuto pasci, ubi eaedem oves primi pastoris ductum non sequantur. Tertio, sententia haec comprobatur ex traditionis doctrina, quam SS. Patrum scripta, et Rom. Pontificum, ac Conciliorum gesta demonstrant. Si quis memoria revocaverit acta Concilii Chalcedonensis an. 451 habita, illico videbit perfectam decreti consiliaris vim ex pontificia demum confirmatione nasci, ac disciplinam ab Episcopis pleno consensu sancitam iure posse, contraria S. Pontificis sententia, reiici, ut patet ex Can. 28 de Constantinopolitani Episcopi

dignitate, quem S. Leo M. Ep. 114, 115, 116 et 117 in irritum misit, et generali prorsus definitione cassavit. Tandem illud accedit, quod Concilia generalia hactenus celebrata confirmationem eorum, quae definita gestaque fuerant, a Summis Pontificibus petierunt. Non id profecto egissent, nisi necessarium existimassent. Patres Nicaenae Synodi in epistola ad Silvestrum Papam « Quidquid, aiunt, constituimus, precamur, ut Vestri oris consortio confirmetur. » Et Silvester eidem Synodo rescribens: « Confirmo, inquit, figoque ad doctrinam vestram reclamantes de unitate Trinitatis. » Et Patres Concilii Chalcedonensis acta ipsa ad S. Leonem Magnum mittentes, Mittimus, inquiunt, « ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem. »

Et cum essent in Oriente, qui Acta Chalcedonensis Concilii ob eam causam non reciperent, quod, ut aiebant, a Romano Pontifice confirmata non fuerant, Marcianus Imperator a Leone ipso magnopere postulavit, ut litteras mitteret, « per quas, inquit, omnibus Ecclesiis, et populis manifestum fiat, in Sancta Synodo peracta a Tua Beatitudine rata haberi. »

Denique totius Ecclesiae consensus haec omnia, quae dicta sunt, manifeste declarat. Namque Ecclesia Catholica ea tantum Concilia tanquam legitima recipit, quae Summi Pontifices probaverunt; ea e contra reiicit tanquam illegitima, quae ab ipsis Pontificibus reprobata fuisse noscuntur.

Ecclesiae valde utile est, atque etiam regimini politico salutare, ut Imperatores decreta Conciliorum Generalium corroborent ea confirmatione, quae ad eorumdem exsecutionem spectat. Cum enim

plerumque sint longe plures, qui non amore iustitiae, sed potissimum poenarum temporalium metu, ad servandas leges semel constitutas adigantur, ideo Ecclesiae valde utile est, ut Imperatores sua utantur auctoritate ad exsecutionem eorum, quae in Conciliis Oecumenicis statuta fuerunt. Est id etiam utile regimini politico: nam ad Imperii felicitatem quam maxime conducit, ut serventur quae sunt graviora ceteris, et ad religionem spectant. Hoc genus confirmationis et Pontifices in Conciliis ab Imperatoribus petiisse, et Imperatores superaddidisse semel editis decretis, constat luculentissime ex historia.

Porro Confirmatio Pontificis trifariam locum habere potest, nimirum actu praecedente, aut concomitante, aut consequente. 1° Modo, quando Synodus Oecumenica recipit, laudat, et exsequitur decretum aliquod, quod antea Pontifex fecerat. Hac ratione plures Synodi, tertia nempe, quarta, sexta, septima et octava sequuta sunt decreta RR. Pontificum, qui singulorum tempore sedebant, videlicet Coelestini I, Leonis M., Agathonis, Adriani I, et Adriani II. 2° Modo, quoties Pontifex in Concilio praesens, eadem cum Episcopis decernit. Atque ita factum est in novem Conciliis Oecumenicis, seu in 4 prioribus Lateranensibus, in duobus Lugdunensibus, in Viennensi, in Florentino, et in Lateranensi V. 3° Modo fit, ubi decretis in Concilio factis S. Pontifex deinde assentitur.

Cabassutius, Notitia ecclesiastica seculi XVI in Concil. trident. num. 95 ait: « Constans est catholicorum persuasio, posse errori succumbere Concilia quantumvis numerosa, nisi approbatione Supremi totius Ecclesiae Capitis, ac Petri successoris muniantur, cui Christus ipse promisit: SUPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTAE INFERI

NON PRAEVALEBUNT ADVERSUS EAM, Matth. xvi, 18, et Luc. xxii, 32: EGO ROGAVI PRO TE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA. Nec sufficienter adest totum Ecclesiae corpus, si reliquis membris caput ipsum non concurrat, vel suffragetur. Idcirco Damasus Pontifex in Romano praesidens concilio, Ariminensem synodum multo Nicaena numerosiorem damnavit, qua perfidia ariana confirmabatur. De qua haec ipsemet ad Illyrici Episcopos scribit: « neque enim praeiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando neque Romanus Episcopus, cuius ante omnia decebat eos expectare decretum.... talibus praebuit consensum. » Eodem spectat altera ista eiusdem Damasi ad Stephanum, et Concilium africanum scribentis epistola: « nostis, synodum sine eius (loquitur de romana cathedra) auctoritate fieri, non esse catholicum: neque ulla unquam concilia rata leguntur, quae non sint fulta apostolica auctoritate. » Ante Damasi tempora Iulius Pontifex in sua ad orientales Episcopos epistola, quam integram refert Athanasius (Apol. 2, et ex parte Socrates lib. 2, cap. 17, et Sozomenus lib. 3, cap. 10) diserte asserit, fuisse a sanctis Apostolis traditum, deinde in magna (hoc est Nicaena synodo) declaratum, non posse ullam convocari synodum, inconsulto, aut invito romano Pontifice. »

De confirmatione Conciliorum generalium agunt Petrus Ballerini *De potestate summ. Pontificum, et Conciliorum generalium* cap. 2, 3 et 4, Ioannes Baptista Bartoli *Institution. Iuris canonici* cap. 22 et 23; Lupoli Praelec. Iur. eccl. v. 1; de Benettis de Priv. s. Pet. Vind. p. 2, t. 3, et Muzzarelli de auct. R. P. in Conc. Generalibus.

§ 40.

De Conciliis particularibus.

Scriptores praesertim veteres solebant particulares Synodos bifariam partiri, in *provinciales*, et *dioecesanas*. Sed provincialium Synodorum nomine tum nationales, tum provinciales intelligebant. Nos itaque, maioris perspicuitatis gratia, Concilia particularia dividimus in *nationalia*, *provincialia* et *dioecesana*.

Nationalia sunt, quae a Patriarchis, vel Prima-

tibus alicuius regni, vel nationis, convocatis totius regni, vel nationis Episcopis, celebrantur. Haec quandoque *universalia* seu *plenaria* dicta sunt, non simpliciter quidem, sed comparate ad illud regnum, vel nationem, ubi habita fuerunt. Sic Africana Synodus vocata est *plenaria* a S. Augustino, non simpliciter quidem, sed comparate ad totam Africam.

Romani etiam Pontifices Metropolitas, et Episcopos Italiae ad Synodos convocare consueverunt: recteque observat Bellarminus lib. de Clericis cap. 16 « quod primis sexcentis vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia diiudicanda cogebant Concilia nationalia Episcoporum Italiae. »

Concilia provincialia ea sunt, in quibus conveniunt Episcopi unius provinciae sub eorum Archiepiscopo, seu Metropolitano, quaeque ab eodem, vel, eo legitime impedito, vel Sede Metropolitana vacante, a suffraganeo seniore convocantur. Nicaena Synodus can. 4 iussit Concilia provincialia singulis annis, et Tridentina Synodus sess. 24, c. 2 de reform. saltem tertio quoque anno celebrari.

In Conciliis provincialibus, et nationalibus graviores causae de fide, et disciplina ecclesiastica quondam agebantur. « Si causa fidei est, inquiunt Patres Concilii Toletani IV, can. 3, aut alia, Ecclesiae generalis totius Hispaniae et Galliae Synodus convocetur. » Id porro fiebat, ut recens subortae haereses damnarentur, et gliscentes per provinciam errores cum ob persecutionem interdictus erat ad S. Pontificem recursus, solicita cura praefocarentur. Verum omnes maiores causae Summis Pontificibus reservatae fuerunt; qua de

re suo loco dicturi sumus. Nunc itaque nationalia et provincialia Concilia non amplius in pertractandis fidei et morum, aliisque maioribus causis versantur, sed tantummodo in iis negotiis, quae ad rectam nationis, vel provinciae administrationem pertinent. Quaenam sit concilii provincialis natura, quinam ad illud vocandi sunt, quaenam istorum officia, quaenam formae et caeremoniae adhibendae fuse explicat Bouix op. Du Concile Provincial. Paris 1847, et Card. Gousset exponit, op. « Des principes de droit canonique, » c. 8. Non erit abs re referre decisionem S. C. C. diei 18 Iunii 1839, qua statuitur « Capitulum metropolitanum esse invitandum ad Synodum provincialem, quatenus in eadem civitate celebretur, ordinato tamen servitio Chori, arbitrio et prudentia Archiepiscopi; Canonici autem sive collegialiter, sive per procuratores intervenientes locum habeant iuxta praescriptum in Caerem. Episc. l. 1, c. 31.»

Denique Dioecesana Concilia sunt, quae ab unoquoque Episcopo celebrantur. Dioecesana vocantur, quia quilibet Episcopus ea congregat ex Parochis, Presbyteris, atque clericis suae Dioeceseos, quibus ipse praeest. Haec habenda sunt annis singulis, eorumque decretis parere cogitur universa Dioecesis. Ea vero iure indicit Episcopus electus et confirmatus, quamvis nondum consecratus, non vero Archiepiscopus, antequam pallium recipiat, non Episcopus titularis, non Vicarius generalis, nisi speciali ab Episcopo commissione muniatur, non Vicarius Capitularis, nisi post annum ab proxime habita Synodo, non denique Vicarius Apostolicus, nisi a S. Sede expressam habuerit facultatem habendi Synodum. Si vero Vicarius Apostolicus sit prae-

positus Ecclesiae, quae vacua est, propter Episcopi obitum, aut translationem, is in cogenda Synodo utitur eodem iure, quo Vicarius Capitularis.

Porro ad Synodum accedere tenentur 1° Abbates saeculares intra Episcopi tamen Dioecesim existentes; 2° Abbates regulares nullum superiorem generalem agnoscentes, cuius capitulo subiiciantur, non vero qui subduntur capitulo generali sui ordinis; 3° Parochi et omnes, qui curam gerunt animarum, sive saeculares fuerint, sive regulares, nemine prorsus excepto, nullaque facta inter regulares distinctione, sive subiecti, sive non subiecti sint Capitulo generali; 4° Priores et Guardiani, caeterique parvorum conventuum superiores, qui Episcopo, tamquam S. A. delegato, subiecti sunt; 5° Priores, decani, aliaeque dignitates, personatus et officia obtinentes, tum etiam Canonici Ecclesiae cathedralis, et collegiatarum, aut saltem eorum aliquot e Capituli gremio deputati; 6° Obtinentes beneficia simplicia, ubi tamen legitima consuetudo ad id eos obstringit, quemadmodum et Clerici sacris ordinibus initiati, licet beneficiis non potiantur, ad Synodum venire debent, cum aut de morum disciplina restauranda, aut de re aliqua ad omnes clericos pertinente agendum est. Expedit praeterea, ut Vicarius Generalis, ac Vicarii Foranei vocentur, ac Synodo intersint. Huc spectat notare, Sedem Apostolicam, in quibusdam locis, facultatem Episcopo impertiri, unis vocatis decanis, seu Vicariis Foraneis, Synodum celebrandi, ubi forte, omnibus vocatis, valde exiguus Sacerdotum numerus remaneat, qui in Parochorum absentia fidelibus praesto sint.

In Synodo dioecesana de iis agitur, quae ad

Dioecesim pertinent. Examinatores synodales saltem numero 6 eliguntur, missarum eleemosyna, sive stipendium taxatur, quae taxa synodalis dicitur, rectae Sacramentorum administrationi consulitur, tolluntur abusus, si qui forte in mores, et in disciplinam irrepserint. Vide Ben. XIV de Syn. Dioec. l. 1, c. 6 et Mélanges théologiques 6 série, Liège an. 1852, cahier 4, p. 1, et seq. 2, p. 238 et seq. et 4 p. 566 et seq.

Constitutiones in Synodo dioecesana latae statim promulgantur; neque enim opus est, ut ante earum promulgationem a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione Concilii approbentur. Contra vero Concilia provincialia, et a fortiori nationalia ad eamdem Sacram Congregationem, non solum ut expendantur et recognoscantur, sed ut corrigantur etiam, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur, ante promulgationem mittenda sunt, quod iuxta morem iam receptum Sixtus V, bulla Immensa 1588, constituit. Vide Ben. XIV de Syn. dioec. t. 13, c. 3. Non semel accidit, provincialia Concilia, id Metropolitanis petentibus, a Summo Pontifice per apostolicas litteras confirmari. Haec confirmatio robur quidem adiicit actui confirmato, sed nequaquam illud extendit, nisi aliter superior expressit.

Si quis desiderat cognitam habere historiam Conciliorum, eorumque decreta et canones, videat Carolum Richard in *Analysi Conciliorum generalium et particularium*, et Ioseph Biner in *Apparatu eruditionis ad Iurisprudentiam, praesertim ecclesiasticam*.

De Synodorum utilitate haec praestat notare. Alexander VII, ut alios praeteream, Const. INTER CAETERA §. 5 habet: « Hoc persuasissimum vobis esse non dubitamus nihil frequenti aui-

marum recognitione, synodorumque celebratione populorum saluti, ac veteri disciplinae constituendae, nihil catholicorum principum paci a Deo impetrandae accommodatius esse, quo intermisso magna in moribus continuo ad omnem improbitatem ac peccandi licentiam facta est immutatio. » Thomas Philippus Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis, ut legi potest in synodico belgico t. 2, p. 475, ait: « Ex provincialium et dioecesanorum synodorum celebrationibus et sanctionum episcopalium, seu epistolarum pastoralium ordinationibus summam utilitatem in corpus Ecclesiae redundare, omnium nationum consensione, et publica confessione comprobatum est. Per illas namque tolluntur abusus, corriguntur excessus, cleri populique reformantur mores, extirpantur vitia, collapsa restituitur disciplina, componuntur controversiae, et denique per illas pestiferum haereseos, impiarumque doctrinarum virus profligatur. » Tandem Abelly op. « Episcopalis sollicitudinis enchiridion » p. 2, c. 7: « Quandoquidem, ait, ad reparandos defectus, excessus reprimendos, abusus tollendos, lites plurimas sopiendas, tepidorum, si qui sunt, socordiam excitandam, fidem orthodoxam tuendam, et virtutum quarumcunque studium promovendum, ac demum procurandam disciplinae ecclesiasticae instaurationem, si collapsa sit, vel si adhuc vigeat, eiusdem conservationem, nihil utilius atque efficacius esse queat, quam canonica Synodorum illarum celebratio, ut vel ipsa experientia satis comprobatur. » Iure itaque SS. D. N. Pius IX, litteris suis 17 maii 1849 datis, maxime Episc. Galliae hortabatur, « ut synodis habitis ea agere vel proponere contenderent Episcopi, quae valerent ad catholicae Ecclesiae causam tuendam, ad pietatem morumque honestatem fovendam et suscitandam, ad catholicam ubicumque institutionem promovendam, ad SS. nostrae Rel. bonum promovendum, ac praesertim ad grassantes propulsandos errores et funestissima vesanae incredulitatis exitia avertenda, quae luctuosissimis hisce temporibus, quasi torrens undique exundans, universum pene terrarum orbem immergere tentat. »

§ 41.

De auctoritate Conciliorum.

Concilia generalia auctoritate Summi Pontificis confirmata in fidei, morumque definitionibus errare non possunt, ita ut haereticus habendus sit,

qui eiusmodi definitionibus non assentiatur, vel etiam de iis pertinaciter dubitet. Iudicium enim Episcoporum qui cum Romano Pontifice consentiunt, iudicium Ecclesiae est, quae in fidei, morumque doctrina nulli plane errori obnoxia esse potest. Fusior sermo de hoc privilegio, Theologorum est proprius.

Praeterea ius ferendarum legum in Conciliis Generalibus residet, quandoquidem nulla in Ecclesia auctoritas inveniri potest, quae potior haberi valeat Romano Pontifice simul cum Episcopis decernente. Itaque leges, sive disciplinae canones ab iisdem Conciliis constituti ad universam Ecclesiam pertinent, et ab omnibus servandi sunt, usque dum non immutentur, attenta temporum aut adiunctorum ratione, aut etiam, in peculiaribus casibus relaxentur. Tandem et illae Conciliorum sententiae a R. Pontifice confirmatae, quibus aliqui homines absolvuntur, vel condemnantur, supremam quoque habent iudicii vim, adeo ut ab iisdem appellari non possit.

Verum quod attinet ad Concilia particularia, quando ex veteri disciplina de rebus dogmaticis iudicabant, eorum iudicia probabilem fidem faciebant, non vero certam et falli nesciam. Ubi vero auctoritate Summi Pontificis confirmabantur, tum certam et *infallibilem*, ut aiunt, auctoritatem consequebantur. Itaque eadem decreta vix edita ad Summum Pontificem probanda mittebantur, ut accedente Primae Sedis approbatione, quod de illis coetibus fuerat deliberatum, tamquam fidei dogma ab omnibus reciperetur orthodoxis, unaque esset ubique omnium fides. Huius disciplinae luculentissimum testimonium perhibet universa

Ecclesiae historia, quod ostendit Thomassinus diss. 9 in Concilia. Sic errores Helvidii, Pelagii, et Priscilliani in Conciliis provincialibus Thelensi, Africanis, et Toletano condemnati sunt, et eorumdem Conciliorum *irreformabile* iudicium habitum est, postquam confirmatio Apostolicae Sedis accessit.

Decreta vero, sive disciplinae canones a particularibus Conciliis conditi ad omnes Christifideles non porriguntur, sed vel nationem, vel provinciam, vel dioecesim afficiunt, prout Concilia vel nationalia, vel provincialia, vel dioecesana fuerint, quandoquidem eorumdem Episcoporum potestas suarum dioecesium finibus continetur.

Plerique Theologi et Canonistae disputant, utrum Concilium generale sit superius Pontifice, an inferius? Hac de re satis multa dicta sunt in utramque partem, quae omnia referre nimis longum esset: pauca tamen brevissime indicabimus. Nostra itaque sententia est, potestatem Concilii generalis inferiorem esse potestate Summi Pontificis. Enimvero potestas Conciliorum generalium superior esset, vel ratione *auctoritatis episcopalis*, vel ratione *collectionis*, vel ratione *repraesentationis*. Sed talis non est ratione auctoritatis episcopalis, quia episcopalis iurisdictio finibus dioecesium, quibus praefecti sunt, circumscribitur: ex indole vero et forma hierarchiae divinitus institutae Summo Pontifici subiacet. Non ratione collectionis, nam, ut superius diximus, nihilo plus Episcopi possunt in unum collecti, quam possint seiuncti; materialis enim in unum locum congregatio distinctas inter se potestates non coniungit, neque extra suos limites protrahit. Non denique ratione repraesentationis, nam ex sententia S. Ambrosii, quem supra laudavimus; « Ubi Petrus, ibi Ecclesia; » adeoque si Episcopi in Concilio collecti cum Summo Pontifice intelligantur, tum quidem Ecclesiam universam repraesentant; sed Pontifex in eo casu neque supra Concilium est, neque infra Concilium, sed in Concilio, ut caput in corpore, quod in se collectionem illam distinctarum potestatum, tanquam in commune centrum unitatis coniungit atque copulat. At si Episcopi sine Romano Pontifice, vel citra eius auctoritatem, collecti intelligantur, conventum facere possunt, Concilium Generale et legitimum nullo modo. Ecquod enim Concilium Generale et legitimum sine Romano Pontifice,

qui nobilissima est, et potissima Ecclesiae pars? Aut quomodo poterunt diversarum Ecclesiarum Episcopi congregati Ecclesiam universam, quae una est, sine suo Capite, repraesentare? Vide auctorem Febronii abbreviati cum notis adversus neotericos Theologos et Canonistas, edit. Bruxellis 1829, prael. p. 44.

Praeterea sunt alia firmissima argumenta, quae Pontifici favent. Christus siquidem CLAVES regni coelorum, supremae potestatis indicia, Petro tradidit, eique concredidit oves et agnos, fideles nempe et pastores sine ulla dispersam inter et congregatam Ecclesiam distinctione; ex quo perspicuum est, summos Pontifices Petri successores tum Episcopis dispersis, tum eisdem congregatis superiores esse. Et profecto si Episcopis singulis, quod ex fide catholica profitemur, Pontifex divino iure superior est, non minus in Conciliis, quam extra Concilium superior erit, nam et in Concilio, et extra Concilium semper praeest primatu iurisdictionis. Moshemius ipse, licet protestans, id fatetur, dum in diss. de Gallorum appellatione ad Conc. haec profert: « Quod universis, sive singulis Ecclesiis praeesse Romanum Pontificem dicunt, non universae Ecclesiae, id tam scitum mihi videtur, ac si quis affirmaret membra quidem a capite regi, non vero quod ex membris constat corpus, aut Urbes quidem omnes, villas subesse regi, non vero, quae iis continetur, ipsam provinciam. »

Denique, ut caetera omittam, ad annum usque 1595 nemini in mentem venit, Pontificem Maximum Generali Concilio subesse; eaque nova opinio ex medio schismatis incendio orta est. Rem narrat Petrus Ballerini in lib. de potest. eccl. summ. Pontif. et Concil. gen. cap. 5, §. 5, recteque animadvertit, « ipsam quidem novitatem opinionis, quae in tota antiquitate nulla congrua auctoritate, nullo exemplo fulcitur, satis per se ipsius opinionis falsitatem detegere. » Profecto catholicae veritatis regula est, certumque criterium, quod a Patribus in omni de religione controversia perpetuo usurpatum his verbis Tertullianus complexus est, « id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod est posterius immissum. »

Bellarm. t. 2 de Conc. l. 2, c. 17 a temeritate magna excusari non posse ait illos auctores, qui collegio Episcoporum, etiam sine Papa, summam tribuunt auctoritatem. Et Duvallius de Romani Pontificis potestate p. 1. q. 7 subdit: « Etsi opinio, quae stat a partibus concilii, in ratione opinionis a temeritate vacet..... a temeritate tamen inobedientiae vix potest excusari, quoniam, ut plurimum, inobedientiam et dissidia multa, magnosque tumultus semper in Ecclesia excitavit. » De Maistre, Du Pape, c. 3 habet: « Partout, où il a un souverain, et dans le système catholique le souverain est incontestable, il

ne peut y avoir d'assemblées nationales et légitimes sans lui. Dès qu'il a dit *veto*, l'assemblée est dissoute, ou la force législative est suspendue; si elle s'obstine, il y a révolution. Cette notion si simple, si incontestable et qu'on n'ébranlera jamais, expose dans tout son jour l'immense ridicule de la question si débattue, si le Pape est au-dessus du Concile, ou le Concile audessus du Pape? »

Auctores parisienses declarationis an. 1682, dum Conciliis oecumenicis auctoritatem assererent potestati Romani Pontificis superiorem, atque Pontificem ipsum Canonibus subiectum esse contenderent, praecipuum suae huiusmodi doctrinae fulcimentum quaesierunt in decretis Conc. Constantiensis Sess. 4 et 5, eademque decreta per apostolicam Sedem approbata fuisse affirmaverunt. Verum Theologi plura edisserunt, quae hoc adversariorum effugium evertunt.

§ 42.

De Sanctis Ecclesiae Patribus.

De sanctis Ecclesiae Patribus, quinto iam loco inter canonici iuris testes, constitutis, agendum nobis breviter est. Ordo tractationis postulat, ut primo videamus, quinam sanctorum PP. loco habendi sint; deinde quanti ipsorum auctoritas a nobis facienda sit. Iam vero Ecclesiae Patres vocamus antiquos, eosque insignes scriptores ecclesiasticos, qui post Apostolos et Evangelistas, singulari providentia Dei, Ecclesiae dati fuerunt, quique, ut ait Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio: « in fide et communione catholica sancte, sapienter, et constanter viventes, docentes, et permanentes vel mori in Christo feliciter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. » Patres idcirco dicti, tum propter antiquitatem, ex qua vox *Patrum Ecclesiae* ducta est, tum propter doctrinae praestantiam, exemplaque virtutum, quibus permultos in

Iesu Christo filios genuerunt. « Talibus Patribus, inquit S. Augustinus lib. 2 contra Iulianum, post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit; et hi, quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt, quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. » Ipsi itaque sunt Sacrarum Scripturarum interpretes, Traditionis testes atque custodes, Praedicatores fidei, Praeceptores morum, Magistri canonum, adeoque ex eorum scriptis, tanquam ex fonte quodam puriori doctrinam Ecclesiae disciplinamque haurire possumus.

Nemo tamen ex his concludat, totum id, quod quivis Sanctorum Patrum litteris consignavit, ita retinendum esse, ut contra sentire, aut agere nunquam liceat. Nam singuli Ecclesiae Patres afflatu Spiritus Sancti, sicut Prophetae et Apostoli, non regebantur, proindeque aliquibus in rebus errare potuerunt.

Idem dicendum de Ecclesiae Doctoribus singillatim acceptis. Benedictus XIV de Beatif. et Canoniz. Sanct. l. 3, p. 2, tres conditiones ad constituendum Ecclesiae Doctorem enumerat, eminentem nempe dotrinam, insignem vitae sanctitatem, et summi Pontificis, aut Concilii Generalis legitime congregati declarationem.

§ 43.

De usu et auctoritate Sanctorum Patrum.

Itaque Sanctorum Patrum scriptis ita utendum est, ut non eis maiorem, praeter quam habent, auctoritatem tribuamus. Qua super re damus regulas, quae sequuntur.

Prima est: « In rebus quae ad fidem et mores pertinent, unius etiam, alteriusve Patris auctoritati magna fides habenda est; maior etiam, si plures Patres idem omnino sentiant. Si quid vero consentientes inter se Patres aut divinis Litteris expressum, aut divinitus traditum esse doceant, eorum dictis, sine ulla dubitatione, credendum est, neque licet dissentire.» Quamvis enim singuli SS. Patres falli potuerint, ut homines, dum tamen ad unum omnes in eadem sententia conspirant, expertes omnis erroris censendi sunt. Namque, ut refert Vincentius Lirinensis, « Concilio Ephesino divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset auctoritas; » et Concilium Lateranense sub Innocentio III, can. 13 haec habet: « Quae omnes consentientes Ecclesiae Patres respuunt, ea catholica et apostolica Ecclesia respuere dicit, et quae credunt, credit. » Denique Concilium Tridentinum sess. 4 in Decreto de editione et Sacrorum Librorum usu, sub poena anathematis, sancivit, « ne quis Scripturam Sacram contra unanimem Sanctorum Patrum sensum interpretari audeat. »

Secunda est: « In negotiis et causis, quae ad disciplinam spectant, legibus ab Ecclesia constitutis standum est, non scriptis SS. Patrum. » Neque enim SS. Patres aut leges ferre, aut latis legibus derogare potuerunt, propterea quod ad condenda, vel abroganda iura doctrina et sanctitas non sufficiunt, sed potestas necessaria est, qua SS. Patres destituebantur. Sapienter itaque Gratianus in principio dist. 20 nos admonuit, cum de legibus disciplinae constituendis, vel contro-

versiis definiendis agitur, magis obtemperandum esse Summorum Pontificum decretis, quam SS. Patrum sententiis: « Nihilque obest, ut scite animadvertit Ioannes Baptista Bartoli Instit. Iur. Can. cap. 42, quosdam ex Sanctis Patribus contra sensisse, cum saepe incidant tempora, ut quod olim Ecclesiae neque necessarium, neque utile esse crederetur, id postmodum maxime profuturum esse videatur; quam ob causam ipsas quoque Ecclesiae leges interdum mutari oportet. »

Tertia est: « In negotiis vel controversiis ecclesiasticae disciplinae, in quibus neque Pontifices Summi, neque Concilia quidquam constituerunt, Sanctorum Patrum sententiae pro legibus, quas sequamur, nobis erunt. » Hanc regulam accepimus a S. Leone IV, qui in epistola ad Episcopos Britanniae, cum Summorum Pontificum decreta, Conciliorumque canones enumerasset, per quos, « iudicant Episcopi, et per quos Episcopi simul et Clerici iudicantur, » ita subdit: « Si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel caeterorum similiter Sanctorum Doctorum reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda. »

Itaque SS. Patrum scripta in rebus disciplinae sunt Iuris canonici fons subsidiarius, quatenus ubicumque sacri canones silent, scripta SS. Patrum subsidio veniunt, et locum auctoritatemque ecclesiasticae legis obtinent. Ex quo factum est, ut qui colligendis sacris canonibus dederunt operam, hi multas SS. Patrum sententias suo quisque canonum Codici inseruerint.

Ioannes Barbeyracus, Dallaeus, et alii Calvinistae Sanctorum Patrum doctrinam carpere conati sunt, sed frustra laborarunt; vide Lexicon theologicum D. Bergier verb. « Ecclesiae Patres » *Iuris ecclesiastici praelectiones Vincentii Lupoli* tom. 1, cap. 18, et disputationem Liberati Fassonii *de morali Patrum doctrina.* Confer etiam lib. de opt. meth. legendi SS. PP. Macarii a S. Elia, et Inst. Patrol. p. 1, c. 6, p. 2, c. Past., de Riegger Inst. I. C. l. 1, c. 3, §. 312.

§ 44.

De RR. Pontificum Epistolis decretalibus.

Romanam Ecclesiam matrem et magistram Ecclesiarum omnium, et Summum Pontificem Ecclesiae universae visibile caput, Christus ipse constituit. Quare si quid ab eo decernitur in commune bonum, id tamquam a divo Petro decretum tenendum a christianis est, atque esse apud omnes legis loco debet. Frequens illud Patrum est et Conciliorum, quod Petrus per suos successores loquitur. Ita Philippus S. Coelestini legatus in Concilio Ephesino act. 3, probantibus eiusdem Concilii Patribus, dixit: « . . . ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet. » In Concilio Chalcedonensi act. 2 cum lectae sunt litterae a S. Leone ad Flavianum datae, Patres una voce clamarunt: « Petrus per Leonem ita loquutus est.» Qua eadem formula usi sunt etiam tertii Constantinopolitani Concilii Patres act. 18, ut alios multos praeteream.

Feruntur a Pontifice leges ob commune Ecclesiae bonum, vel nutu ipsius, vel adhibito consilio Cardinalium et Episcoporum, aut motu proprio, aut aliquo rogante. Quovis modo lata sit pontificia lex, ea parendi affert necessitatem. A-

desis Zaccaria in Antifebr. vind. p. 3, diss. 6, c. 12, eiusdemque dogmaticae definitiones obligant etiam ad assensum et obsequium mentis. Vide Ballerini App. de Inf. Rom. Pont. n. 85. Quamvis autem honorifica Pontificis et Papae, quemadmodum et Sanctissimi ac Beatissimi nomina primis Ecclesiae saeculis omnibus Episcopis aeque tribuerentur, Romanae tamen Sedis Praesuli specialius adhaeserunt, utpote cuius, inter reliquos Antistites, primatus a Christo Domino, in persona Beati Petri constitutus, evangelica nititur auctoritate, non modo innumeris canonibus, sed iure quoque civili quodammodo promulgatus, l. 8, §. Reddentes, c. de Summa Trin., ubi Romanus Pontifex, caput omnium sanctarum Ecclesiarum pronuntiatur, cuius sedi uniri ac subiici omnes sacerdotes etiam universi orientalis tractus, ad quem dubia fidei referri et per quem discere oporteat Episcopos sinceram doctrinam. Hinc manant Romanae Sedis supra reliquas iura praecipua, inter quae illud est, quod Summorum Pontificum constitutiones in rebus ecclesiasticis, quemadmodum in rebus civilibus principum placita, omnimodam obtineant auctoritatem, tamquam ipsius Petri voce firmatae. Unde Rom. Pontificum decreta, seu decretales Epistolae, quae voces Petri sunt, imo ipsius Dei, per os Vicarii sui loquentis, ab omnibus venerabiliter suscipiendae sunt, ex quibus fluunt plurimae iuris nostri decisiones, quod ex eo nomine Pontificium appellatur.

Prioribus saeculis Romani Pontifices generales regulas plerumque in concilio edere solebant, sed saepe etiam litteris ad certas Ecclesias datis, quae deinceps omnibus communes fiebant, mandata,

legesque suas comprehendebant. Cum Summi Pontifices ad aliquem Episcopum decreta mittebant, quibus omnes obstringi vellent, solebant praecipere, ut eadem aliis atque aliis per litteras nunciarentur. Quare cum Himerus Tarraconensis regularum librum a Siricio accepit, iussus est, ut non ad Episcopos solum suae provinciae, sed etiam « ad universos Carthaginienses, et Boeticos, Lusitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, et quae a nobis sunt salubri ordinatione disposita sub litterarum tuarum prosequutione mittantur » uti scriptum est in eius Epist. 20 apud Const. Epist. Rom. Pont. coll. 637, edit. Par. 1721. Quod etiam ex pluribus aliis litteris manifestum est. Hinc quaedam Pontificiae litterae, quae initio ad certos Episcopos, aut ad certas provincias datae erant, cum deinceps ad alios Episcopos, aliasque provincias missae fuissent, in quibusdam manuscriptis illam in epigraphe inscriptionem acceperunt: *et Universas Provincias*. Ex quo intelligitur, quemadmodum pontificiae leges, quae litteris comprehendebantur, omnibus facile innotescerent, quamquam nullus esset earum codex.

Hasce litteras semper christiani omnes, ea qua par est reverentia, susceperunt, qui semper etiam graviores de fide ac disciplina controversias ad Sedis Apostolicae iudicium detulerunt. Primo Ecclesiae saeculo S. Clemens I. a Corinthiorum Ecclesia consultus, « *scripsit*, ut narrat S. Irenaeus l. 3 contra haer. c. 2, n. 2 potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem. » Magna pars ve-

terum Epistolarum, temporis iniuria, periit, et multae perierunt, quae a S. Damaso datae sunt, et in quibus conscribendis multam se ei operam praebuisse testatur S. Hieronymus. Dignae memoratu sunt litterae SS. PP. Innocentii I, et Leonis M., ex quibus intelligitur quam multa ex tota Ecclesia negotia omnes ad Sedem Apostolicam deferrent, ut eius iudicio finirentur. Vide Coustant coll. 895, 910, et Edit. Ballerini t. 1. col. 634.

§ 45.

De Constitutionibus RR. Pontificum in rebus fidei ac morum.

Constitutiones Pontificum aliae generales sunt, uti Decreta, et Decretales Epistolae, aliae speciales, ut Rescripta strictius sumpta, quo nomine appellamus illud Litterarum Apostolicarum genus, quibus Pontifex aliqua supplicantium causa fieri iubet. Ad has referuntur, quae a Romano Pontifice statuuntur in Concilio aliquo Provinciali, vel pro suis ditionibus in Italia, quod velle praesumitur, si Decretum edat lingua italica conceptum. Hoc loco de generalibus agendum, quae ad regendam Universam Ecclesiam dirigantur. Uti Concilia, ita etiam Constitutiones Pontificiae, partim circa Dogmata fidei, partim circa disciplinam ecclesiasticam, et mores fidelium versantur. An in utroque genere Decretorum fidei, et morum Romanus Pontifex, dum solemniter ex cathedra loquitur, seu tanquam Ecclesiae totius Magister aliquid sentiendum, credendumque catholicis proponit, infallibilis sit, nonnulli Theologi in dubi-

tationem adducunt, putantes Pontificis iudicium non esse irreformabile, nisi consensus Ecclesiae accesserit. Id tenent qui declarationem editam Parisiis an. 1682, sequuntur. Sed antiqua et potior sententia est, quae Romano Pontifici de rebus fidei, et morum universam Ecclesiam docenti privilegium infallibilitatis, antè ullum Episcoporum consensum, vindicat. Ex qua sententia consequitur, ut qui catholici esse velint, omnino debeant definitionibus ipsius non modo obsequentes sese praebere, verum etiam interno mentis assensu audientes esse et credere. Quam quidem obligationem denuntiavit S. Petrus Act. XV, 7 his verbis: « Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes et credere. » Non dixit, per os meum audire, et Ecclesiae, vel Apostolorum consensum expectare, sed AUDIRE ET CREDERE.

Haec quidem de Pontificis infallibilitate sententia multis Sacrarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum testimoniis demonstratur: qua de re Theologi disserere copiose solent. Verum, cum ad Canonistas quoque pertineat, ecclesiasticarum Constitutionum vim potestatemque perspectam, et exploratam habere, sic unum saltem argumentum, et illud quidem planum, sed omnino efficax et invictum promendum est, ex quo facile intelligatur, Pontificis definitiones a veritate deficere nunquam posse, ut proinde necesse sit eisdem tanquam catholicis veritatibus, et externo obsequio, et interno cordis assensu firmiter adhaerere.

Argumentum autem ex fine Primatus hac ratione conficitur. Catholici omnes confitentur, Primatum, quem Petro, et Successoribus Christus

contulit, ad unitatem maxime fidei in Ecclesia confirmandam institutum esse, eiusdemque Primatus auctoritatem non solius vigilantiae, adhortationis, et directionis, sed verae et propriae iurisdictionis auctoritate contineri, et eam denique iurisdictionem tantam esse, quanta ad christianos in fide, et Religione continendos necessaria est. Non enim dici, ac ne putari quidem potest, Christum dedisse Pontifici munus conservandae unitatis, et non dedisse potestatem ac vim, sine quibus eadem unitas conservari nequeat. Sed Pontifex unitatem fidei custodire non potest, nisi eiusdem definitiones certam, et irreformabilem credendi regulam constituant, cui omnes subesse teneantur. Si enim subortam de fide, et Religione controversiam Pontifex *ex cathedra definiat*, et nihilominus integrum fidelibus sit assentiri, vel dissentire, quia Pontifex falli potuit, unitas fidei nulla erit, sed perpetuae dissensiones, totque et tam dissonantes in fide, et Religione sententiae, quot in Ecclesia, et quam diversa sunt capita.

Sed inquiunt, definitionibus iudiciisque dogmaticis Summorum Pontificum obsequendum esse « provisorie, seu non dogmatizando contrarium, quamdiu non reclamat Ecclesia, » eoque pacto schismata, et sententiarum dissidia removeri. At vero si ad unitatem in fide exigendam opus est praesidio, sive accessione consensus saltem taciti Ecclesiae, aut Episcoporum, Primatus utique nec aptus erit, nec idoneus ad illum efficiendum, cuius gratia institutus est. Praeterea cum nomine Ecclesiae, quae reclamare potest, praesertim Episcopi intelligantur, illud reliquum est, quod iudicium Pontificis iudicio peculiaris cuiusque Epi-

scopi subsit, cum nemo reclamare iure possit, nisi cognita causa iudicaverit Pontificem in sua definitione erravisse. Igitur ea sententia dignitati, et fini Primatus omnino detrahit. Sed officit etiam tum fidei, tum animarum tranquillitati, propterea quod nullus foret promptus et efficax modus, quo nascentes haereses statim opprimerentur; nam sero medicina paratur, cum malum invaluit. anceps et incerta maneret fides, quam Catholici sequi deberent, quoad Ecclesiae iudicium expectaretur: nulla denique esset certa via et expedita, qua Ecclesiae consensus investigari posset, ideoque nihil firmum immotumque haberetur, cui assensus fidei adhaereret. Quamdiu enim consensus Ecclesiae expectandus erit? an consensus fidelium postulatur, an Episcoporum tantum? an omnium, an plerorumque? quid si qui reclamaverint? quis iudex erit in numeratione consentientium et dissidentium, ut inde compertum sit, an consentientium numerus satis sit catholico dogmati stabiliendo? quis hunc sufficientem consensum fidelibus annuntiabit? Semper itaque, in sententia adversariorum, locus dubitandi esset reliquus, cuius dubitationis nullus esset institutus iudex, nec proinde Christus Ecclesiae suae satis consuluisset. Quas ob res, si ad Ecclesiae unitatem in fide conservandam, Primatus a Christo positus fuit, necesse profecto est, ut Pontifex in suis definitionibus errare non possit, et ipsius proinde iudicium Christiani omnes, et iudices etiam minores sequi debeant. Quid? in causis fidei, et morum ultima quidem est, quae spectari debeat, Romani Pontificis auctoritas (vid. Francis. Ant. Zacc. in Antifeb. vind. Tom. 2, Diss. 5, cap. et tom. 3,

Diss. 6, cap. 4, § 4); cum enim absolute necessaria non sint generalia Concilia, quae tamen essent, si ultimum essent Ecclesiae Tribunal, a quo fidei controversiae dirimerentur, ac propterea, si congregarentur, vim obtinere non possint eorum definitiones, nisi pontificia confirmatione fuerint obsignatae, quid demum restat, nisi ut Romani Pontificis, quae in definiendis istiusmodi controversiis infallibilis auctoritas est, eadem ultima quoque habeatur?

Neque dicas rem plenam periculi, infallibilitatem in definiendis controversiis fidei unius personae Pontificis attribuere, quae pro aliquo praeiudicio, vel affectu posset aliquando opinionem minus veram, quam in animum induxerit, veluti certum dogma definire. Hi profecto, qui id timent, considerata unius Pontificis persona, definitiones dogmaticas metiuntur humano more; non cogitant dogmata fidei esse rem divinam, et infallibilitatem Romanorum Pontificum divinis promissis Petro factis, ac traditione confirmante, ad successores eius una cum Primatu traductis inniti, divinamque Providentiam variis, et occultis modis posse efficere, et (ne divinae promissiones sint irritae) certo effecturam, ut si qui Pontifices, pro aliqua praeoccupatione, aut affectu, vellent aliquid falsum definire, vel mutent consilium, contrariumque definiant, vel a definiendo impediantur omnino, vel contineantur inter eorum decretorum fines, quae dogmaticae definitiones non sunt. Cum porro Diabolus non solum Apostolorum aetate, verum etiam postea connisurus esset, ut fidei dissensiones inter Christianos commoveret, eamdemque fidei unitatem dirimeret, quae semper conservanda erat

in Ecclesia Christi, idem officium confirmandi fratres, tuendaeque unitatis, quod Petro commissum fuit, ad Romanos Antistites eius successores transiisse omnes fatentur; ac propterea cum eadem vis cogens ad conservandam fidei veritatem in iis agnoscenda sit, ratione Primatus, pro ipsorum quoque fide a Petro tradita, et ad eosdem transmissa, qua in memoratis dissensionibus a Diabolo excitandis Fratres confirmarent, Christus orasse dicendus est. Agitur itaque de fidei ac morum definitionibus, quae libere ac voluntarie a SS. PP. ex cathedra emittuntur, et quidem *praemissis consultationibus* Cardinalium, Praesulum ac Theologorum Romae aut vicinis in locis existentium, siquidem definitionibus de fide et moribus praemittenda *discussio est*, quae pro rei gravitate sufficere videatur, quemadmodum et Apostoli in Concilio Hierosolymitano fecerunt et semper deinde in Ecclesia factum est. Reapse licet Spiritus Sanctus assistat Summo Pontifici, ut in tradenda fidei doctrina et in solemnibus de illa decretis errare non possit, eumdem tamen non eximit a cura et labore veritatis inquirendae. Ipsa sane iudicii ratio et indoles Pontificem obstringit ad causae cognitionem; aliter non iudicaret Pontifex, assistente Deo, sed Deus iudicium suum per S. Pontificem, tamquam per suum praetorem manifestaret. Hinc pertinet ad Dei providentiam, ut definitio non prodat, antequam veritas sufficienti studio cognita sit. De his itaque definitionibus hic est sermo; non vero de opinionibus, quibus, etsi aliquid Pontifices statuunt, nihil tamen decernunt credendum ex catholica fide, nihilque damnant, tanquam alienum ab eadem; non de simplicibus praece-

ptis, quae ad fidei definitionem referri nequeunt; non de iudiciis super personis tantum, ex cap. *a nobis* de sent. Excom., non de Decretis disciplinae, quae ad fidem non pertinent; non tandem de omissionibus definitionum fidei, quae si omittantur, cum definiendum esset, culpa omissionis non esset error definitionis dogmaticae, nec error in fide. Quapropter cum RR. PP. ad vindicandam catholicae fidei unitatem, quibusdam dissensionibus impeditam, aliquod dogma circa fidem credendum proponunt, atque constituunt, vel errorem aliquem fidei contrarium, iis formulis, damnant, quibus non opinionem privatam, sed catholicam doctrinam se exponere, erroremve ei doctrinae contrarium proscribere ita significent, ut quicumque aliter sentiant a catholica romana fide abesse, et ab Ecclesiae Romanae communione, et unitate separatos declarent, anathemate percellant, aut haereseos, vel aliis aequivalentibus censuris propositiones, quas damnant, inurant, haec erit illa proprie dicta definitio fidei, qua cum ex Christi mandato, confirmandi sunt fratres in fide, ex eiusdem fidei promissis error ipsis nequit inesse. Unde Christifideles nil aliud inquirere debent, nisi utrum veri nominis definitio prodierit. Huius generis sunt omnia exempla definitionum antiquarum Innocentii I contra Pelagianos, Coelestini I contra Nestorium, Leonis I contra Eutychem, Agathonis I contra Monothelitas, atque similiter aliae definitiones Apostolicae etiam recentiores Innocentii X, et Alexandri VII, qui damnarunt quinque propositiones ex Cornelii Iansenii Libro, cui titulus *Augustinus* excerptas, in sensu ab eodem auctore inten-

to; Pii VI, qui damnavit propositiones complures, et doctrinas Synodi Pistoriensis, ut alias mittam dogmaticas constitutiones, quae omnes infallibiles habendae sunt, et iure habentur. Hae autem sunt illae definitiones, quas editas dicunt *ex cathedra*. Cathedrae enim romanae vocabulum, etsi latius sumptum omnem auctoritatem apostolicam e cathedrae primatu manantem complectitur, propius tamen, et primario fidei doctrinam circa speculativa, aut practica dogmata significare ostendit vir clarissimus Petrus Ballerinius de infallibilitate RR. Pontificum in definitionibus fidei, cap. 13, n° 35, et cap. 15, §§ 6, 10, n° 41, ubi laudat regulam Bossueti, ad fidei definitionem discernendam requiri nempe, ut res, de qua Pontifices decernunt, non solum ad fidei, et morum essentialia pertineant, idque *per se*, et proxime, non accidentaliter, et remote, verum etiam ut expressum sit id de fide credendum; ita videlicet, ut obligatio assentiendi, unitatisque praestandae ex ipsis verborum formulis innotescat. Quidquid extra huiusmodi definitionum terminos est, sicut non refertur ad praecipuum finem pontificii primatus, ita nec ex ea primatus auctoritate editum dici potest, in qua certissimam infallibilitatis praerogativam agnoscendam omnino esse affirmamus. Equidem et caetera, quae a Summis Pontificibus prolata reprehenduntur, idoneam defensionem habent; sed defensio ista ad praesentem controversiam non pertinet. Hanc sane rationem servant quoque adversarii nostri, quando sermonem habent de Conciliorum auctoritate; tunc enim infallibilem vim definitionum fidei a Concilio editarum ipsi quoque ita explicant, ut dicant simul nihil

obesse, si vel allata in illis decidendi ratio, vel alia quaedam actis inserta difficultatem aliquam facessant.

Caeterum dum nos vindicamus definitiones fidei a Summo Pontifice editas, etiam ante consensum Episcoporum infallibiles prorsus esse, dicimus simul et libenti animo profitemur Catholicam Ecclesiam ita fuisse a Christo Domino constitutam, ut Episcopi etiam caeteri simul sumpti deficere a fide non possint, adeo ut pontificiis definitionibus maximus Episcoporum numerus semper omnino assensurus sit. Scilicet Christus ipse et Petri auctoritatem pro Ecclesiae fundamento posuit, et ipsam Ecclesiae molem super fundamentum illud aedificavit immobilemque fore promisit, ut proinde perfecta semper in fide consensio fuerit, et futura sit, inter Pontificem ex Petri Cathedra docentem et inter maximum Episcoporum numerum, seu inter Ecclesiae corpus, quod divelli a Cathedra illa non potest. Quapropter si res ad praxim referatur, tota haec controversia eo reducitur, quod illi, qui sequuntur declarationem Parisiis editam an. 1682 contendunt pontificiam definitionem, accedente demum Ecclesiae, seu Episcoporum consensu, infallibilem esse; nos vero cum plerisque catholicis affirmamus, definitionem ipsam ex sola etiam Pontificis auctoritate infallibilem esse; consensum vero Ecclesiae necessario et certissime illi adfuturum. Unde fit, ut adversarii quoque, facto ipso, nobiscum consentiant in iis omnibus credendis, quae Summus Pontifex ad fidem pertinere definivit. Atque haec causa fortasse est cur Ecclesia a severiori contra falsam eorum opinionem censura abstinuerit, nulloque adhuc iudicio proscripserit,

sed solum damnaverit eorum temeritatem, qui opinionem suam, tamquam certam veritatis doctrinam proponere ausi fuerint. Vide Alex. VIII in decr. diei 7 dec. 1690 prop. 29, et Pium VI in Const. Auctorem Fidei. Praeterea, cum nos affirmamus Pontificem ex sola sui muneris auctoritate infallibilem esse, simul fatemur esse in Episcopis veram iudicandi de fide potestatem, quae et ipsa divinitus instituta est. Imo dicimus maximam esse Episcopalis ea in re potestatis utilitatem, sive ea consideretur *specialim* in quibusdam fidei negotiis graviore difficultate involutis, quibus ipse Pontifex eos, sive per orbem dispersos, sive in synodum, aut ex pluribus locis, aut etiam universo ex orbe congregatos, audiendos iudicet, ut cognita hoc modo traditione, et doctrina Ecclesiae circa propositam rem, ad quaestionem dogmatico iudicio finiendam deveniatur; sive spectetur *generatim* in negotiis fidei universis. Quandoquidem Episcopi christianos sibi proxime subditos ad obsequium, quod definitive debetur, inducunt, simulque eiusdem definitionis fundamenta exponunt; quae quidem expositio licet nihil adiiciat ad intrinsecam definitionis firmitatem, prodest tamen ut fideles infirmiores in proposita doctrina facilius perseverent, ut errantium contumacia vincatur, aut luculentius confundatur, atque etiam ut ne dum impii, sed stultissimi quoque habeantur illi qui in rebus fidei testimonium respuunt, certo et concordi tot per universum orbem magistrorum iudicio roboratum. In his autem omnibus admirare est sapientissimam divini Ecclesiae Auctoris oeconomiam. Christus enim dum infallibile fidei magisterium in Romano Pontifice stabilivit,

ut novi contra fidem errores ipsius iudicio perculsi, atque in ipsis exordiis propulsati perderent illico nocendi vim, atque ut fidelibus brevis et facillima pateret via hauriendi ab illo certissimam salutarium veritatum doctrinam: eodem etiam tempore simul providit ut Pontificis iudicio accederet semper iudicium ferme unanime catholicorum Episcoporum, quos ipse Christus constituit, et ad perpetuam infallibilis eiusdem magisterii communionem vocavit; ex quo etiam fit ut omnes fideles, ii etiam, qui vel superbia indociles, vel inani fallacis philosophiae fuco decepti non facilem daturi sunt assensum veritati unius Romani Pontificis iudicio declaratae, concordi omnium antistitum magisterio edocti, in perpetuam cum ipsis fidei veritatem convenire debeant, ad augendum splendorem religionis, et humani generis emolumentum. Quae cum ita se habeant, satis iam exposuisse videmur quemadmodum nos, qui pontificias definitiones infallibiles esse per se affirmamus, agnoscimus simul suam esse causam et vim auctoritati Episcoporum in definitiones ipsas consentientium. Frustra itaque adversarii nostri calumniantur depressum nobis Episcoporum magisterium. Imo illa potius adversariorum opinio cum comparata sit ad observantiam christiani populi erga supremum Pastorem imminuendam, sternit eo ipso faciliorem contumaciae viam, ut tandem non pauci paullatim inducantur ad ipsum Pastorum omnium magisterium contemnendum, quod sane et tristissima recentiorum temporum experientia confirmatum videmus. Stultissimus, caeterum, ille esset, qui hanc Episcoporum cum Romano Pontifice concordiam casui cuidam deputaret, aut as-

sentationi, aut timori. Haec enim cadere prorsus non possunt in Episcopos universi orbis, qui et numero plurimi sunt, et indole, climate, idiomate diversi, iidem dispersi per nationes subiectos principibus civilibus plurimis et non raro pugnantibus inter se.

§ 46.

De distinctione inter sedem et sedentem.

Cum pontificiae infallibilitatis osores horum argumentorum ineluctabilem vim persentirent, cumque promissionibus Christi et traditioni Patrum, quae pontificiam infallibilitatem apertissime testantur, repugnare non auderent aperte, distinctionem finxerunt ingeniose Sedem inter et sedentem, seu inter cathedram Petri et ipsum R. Pontificem, et illam quidem erroris expertem et infallibilem, hunc vero ab errore immunem non esse affirmarunt. Ex quo sequi dixerunt, ut profecto necesse sit omnes Christianos convenire cum fide R. Sedis, non autem convenire etiam cum fide singulorum PP., quorum definitiones non satis tutae, nec irreformabiles habendae sunt.

Iam vero aliquod Sedem inter et Sedentem dari discrimen omnes Catholici fatentur, quibus notum perspectumque est: 1° Romanum Pontificem morte surripi, Sedem Romanam iugiter manere; 2° Romanos Pontifices non semper Deo caros existere posse, Romanam Sedem vero semper Deo esse acceptam; 3° demum, personalia Romanorum Pontificum merita diversa ac distincta haberi, Romanae Sedis qualitates immotas semper eas-

demque persistere; ex quibus solummodo causis, ut constat tum ex facto, de quo sermo erat, tum ex causa, de qua agebatur, tum ex toto ordinis contextu, S. Leo Magnus, scribens ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, illud pronunciavit effatum, quo tantopere Ianseniani abutuntur: « Aliud sunt Sedes, aliud Praesidentes. » Verum omnes, qui catholici haberi volunt, discrimen inter S. Sedem et Sedentem a Iansenistis excogitatum, non solum non admittunt, verum etiam ut inane, futile, totique antiquitati incognitum reiiciunt, simulque fatentur, quidquid peculiare, prae caeteris, Romanae Sedi, propter vim ac praerogativam primatus concessum est, id totum Romano Pontifici competere, eo quod primatus Petri et successorum eius proprius, personalis, ac singularis est. Reapse notum est cuique iura omnia Sedis Romanae universam Ecclesiam respicientia a Sedente, seu a Romano Pontifice, tanquam suo fonte, et origine proficisci ac dimanare, eademque omnino, ac ipsissima dici iura debere, quae Sedentis propria sunt. Argumentum hoc ex traditione conficitur. Nam Traditio velut unum et idem S. Sedem, ac Romanum Pontificem semper agnovit, ac promiscue tanquam omnino synonima Petri Cathedram aut Sedem, Sedem Apostolicam, Romanam Ecclesiam, et Romanum Pontificem usurpavit; ita ut cum Cathedram, vel Petri Sedem eiusque privilegia laudat, et nominat, nil aliud quam fidem, doctrinam, et iura Petri, ac successorum eius evidenter intelligat, quemadmodum per Cathedram Moysis, nonnisi legis Mosaicae doctrina significatur. Pauca adnotabimus monumenta. Patres Concilii Sardicensis Epistola ad Iulium Papam: « Et valde conve-

nientissimum esse videtur, si ad Caput, id est ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis referant Sacerdotes. » Siricius ad Himerium Tarraconensem Episcopum, qui circa plura eumdem sciscitatus fuerat, rescribens: « Dilectio tua, inquit, Apostolicam Sedem consulendam censuit.» S. Innocentius I scribens ad Felicem Nucerianum: « Mirari non possumus, ait, dilectionem tuam sequi exempla maiorum, omniaque, quae possunt recipere dubitationem, ad nos quasi Caput atque apicem Episcopatus referre, ut, consulta videlicet Sede Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid... pronunciet. » S. Hieronymus ad Damasum supplex pro definitione quaestionis trium hypostasium scribens, inquit: « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, communione consocior. » Eadem Augustinus de haeretico Coelestio l. 2 contra Pelagianos, S. Prosper contra Collatorem n. 2, S. Martinus I lit. synod. post Lateran. Conc. apud Labbaeum t. 2, S. Maximus Martyr, et S. Petrus Damianus pluries repetunt, ita ut iam pateat, quam sit absurdum et inane inter S. Sedem, Romanam Ecclesiam, Petri Cathedram, ac Romanum Pontificem distinctionem illam, quam Iansenistae excogitarunt, statuere. Quae propterea distinctio, etiamsi daretur, nihilominus, ut sapienter notat Gregorius XVI opere « Trionfo della S. Sede, c. 9: » adversarios nequaquam iuvaret, qui nec potuerunt hactenus, nec poterunt unquam Romanae Sedis a Pontifice distinctae iura accurate definire, quin imo nec certo quidem statuere, quid huius Sedis nomine veniat (cum alii universalem Ecclesiam, aut Synodos Oecumenicas per ipsam in-

telligant, alii ipsum Cardinalium Collegium, alii Romanas Congregationes) et hasce quidem praerogativas splendidissimis illis nominibus concelebrant, earum vero neque originem, neque latitudinem determinant.

Quod vero obligatio unitatem servandi cum Sede Romana oriatur tantum ex vi et ratione primatus, qui in ea Sede relictus est, seu ex ipsa persona Pontificis, apertissimum est. Nam promissiones Christi S. Petro immediate, non eius Sedi directae sunt; super ipsum Petrum, non super eius Sedem fundaturus Ecclesiam suam Christus ipse praedixit, nec oravit pro Sede, sed pro eodem Petro, ut fides eius non deficeret, eique officium commisit fratres suos in fide confirmandi. Igitur si, ratione primatus, privilegium Romanis Pontificibus tribuendum est, eo quod omnia Sedis privilegia sunt Romanorum Pontificum propria et personalia, profecto illud sequitur, quod nempe ii omnes, qui necessitatem conveniendi cum fide Sedis Romanae fateri non diffitentur, necessitatem quoque conveniendi cum doctrina fidei a singulis Romanis Pontificibus proposita, seu definita, fateri debeant, si velint catholicis principiis, quae nec ipsi inficiantur, concordare.

Bossuetus, cum forte harum rationum ineluctabilem vim persensisset, in medium protulit infallibilitatis promissionem factam esse successioni Pontificum, quae successio, seu series, nomine Sedis Romanae intelligitur, non vero particulariter factam singulis sedentibus, seu Pontificibus, ut proinde Romanorum Pontificum fides immota quidem, seu indefectibilis sit in eorum serie, seu successione, seu in Romana Sede, non vero

in singulis Pontificibus, quorum si unus vel alter erret, errorem hunc vel ipse, qui erravit Pontifex, vel certe aliquis successor erit emendaturus.

Verum haec sententia suspecta in primis esse debet, quia nova est: nullum enim fundamentum habet in sacris litteris, neque in doctrina Patrum et Conciliorum; et eo solum consilio invecta, ut apertissimam traditionem Patrum, quae infallibilitatem in fide, iuxta Christi promissiones, Petro, eiusque successoribus constanter attribuit, aliquo pacto conciliaret. Ad rem Card. Gousset op. cit. p. 182: « Ni les Pères, ni les Conciles, ni les Souverains Pontifes n'ont jamais distingué entre la chaire de St-Pierre et les successeurs de St-Pierre. Cette distinction était inconnue des anciens, inconnue même des Évêques de France, comme on peut s'en convaincre par les lettres qu'ils ont écrites au sujet de l'immaculée Conception de la Sainte Vierge. »

Praeterea si vel unus in serie Pontificum ex cathedra docens errare posset, cur plures errare non poterunt? Igitur nullius Pontificis certa et irreformabilis erit definitio, sed dubia et erroris suspecta, quemadmodum si vel unica scripturae propositio aut falsa esset, aut falsa esse posset, totius Scripturae auctoritas nutaret. Insuper et auctoritas primatus, seu vis ad unam fidem cogendi non in conservationem, sed in destructionem verae fidei vergeret, dum Pontifex, qui erraverit, fideles ad errorem profitendum impelleret. Neque iuvat dicere errorem huiusmodi ab eodem Pontifice, aut ab aliquo eius successore correctum iri. Quisnam etenim illud mihi certe caverit, quod corrector non erraverit? Nonne antequam correctio fiat, vera fides in ipsa serie Pontificum de-

fecisset, et auctoritas Romanae Sedis errorem docuisset?

Sed iam reliquum esset, ut errores eos, qui Romanis Pontificibus tribuuntur, diligenter expenderemus, ut manifeste appareat, etsi a quibusdam amplificari et exagitari soleant, nihil ex eis tamen erui posse, quo Pontificum inerrantia a nobis propugnata infirmetur. Verum instituti nostri ratio non patitur ut in singulis immoremur, nec etiam necessarium est. Nam Romanos Pontifices in iis, quae obtruduntur, vel nullo modo errasse, vel certe in definitionibus fidei ex cathedra loquentes numquam erravisse, probatum ac demonstratum abunde est a pluribus etiam ex adversariorum numero scriptoribus, quos inter legere poteris Tournelius tract. de Eccl. l. 5, n. 2, p. 88. Videri etiam poteris Bellarminum l. 4 de Rom. Pontific., Biner de Summa Trinit. et Hierarchia eccl. p. 3, c. 1, art. 11, 12; Zaccaria de commentitii Tiberii lapsu, Bartoli in apologetico Honorii I; et, ut alios plures sileam, Petrum Ballerinium de vi et rat. primatus c. 15, et Bolgeni « Sull'esame della vera idea della S. Sede di Pietro Tamburini. »

Pariter instituti nostri ratio non sinit ut refutemus obiectionem ex gestis quorumdam Conciliorum desumptam, e quibus agnitum non fuisse dicitur absolutam pontificiae definitionis inerrantiam. Nam Theologi de hac re loquuntur, et obiectionem ipsam nullius momenti esse facile intelliges, si postquam memoria repetieris quod dictum est superius de episcopalis consensus iudiciique utilitate, attendas quoque animum ad historiam praecipuarum haeresum, pro quibus convellendis Oecumenica Concilia celebrata sunt.

§ 47.

De Romanorum Pontificum Constitutionibus peculiaribus.

Ex quo SS. PP. ad Petri Sedem promoti sunt, sicut non idcirco exuerunt humanam naturam, ita nec humanam agendi, et opinandi rationem deposuerunt. Quam multa agunt ex prudentiae regulis, quae ex varietate circumstantiarum iudicium mutandum praescribunt, quaeque illud sectari iubent quod, ut scholae loquuntur, in pluribus accidit, licet in paucioribus possit deficere; quam multa decernunt ex opinione, quae omnibus expensis longe probabilior ac certior iudicatur. Ad haec fere revocantur pleraque rescripta Pontificum, non tam circa personas et iudicia particularia, quam in responsis ad dubia eisdem proposita circa practicos casus, ut nec ullum definitionis dogmaticae iudicium praeseferant. « Respondent enim saepe Pontifices, ait Canus l. 6 de loc. theol. c. 6 ad 8, ad privatas quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad parendum. » Bellarminus l. 4 de Rom. Pont. c. 14, notavit: « Multa esse in epistolis decretalibus, quae non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solam opinionem Pontificum, ea de re, declarant. » Hisce apostolicis rescriptis summa quidem observantia debetur pro summa rescribentium dignitate atque auctoritate, et si quae forte videantur aliquid difficultatis pati, explicanda, concilianda, et vindicanda sunt, si salva veritate fieri possit.

At cum in eiusmodi responsis ad prudentiae et opinandi regulas pertinentibus nullum fidei dogma (in quo continetur et morum naturalis, ac divini iuris doctrina) definitum dici queat; obiectae, sicubi opponantur, difficultates non sunt necessario solvendae ab iis, qui pontificiam inerrantiam solis fidei, ac morum definitionibus promissam vindicandam sumpserunt.

Quotquot item sunt sententiae, in Pontificum sive epistolis sive concionibus, sive aliis quibuslibet eorum operibus inspersae, etiamsi veritatem, aut aliquod dogma contineant, et verissimae sint, non tamen fidei definitiones dici queunt; sicuti similes sententiae in Patrum scriptis inventae opinionis vel dogmatis, ut materies fert, testimonia sunt, definitiones autem fidei non item. Pariter si quae ipsis definitionibus obiter inserantur, vel ut obiectioni respondeatur, vel explicandi gratia, praeter praecipuam propositionem, ea non pertinere ad fidei definitionem animadvertit Canus l. 5 de loc. th. c. 5. Attamen cuique catholico servanda sunt illa Hieronymi ad Damasum: « Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuae, idest, Cathedrae Petri, communione consocior. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noë non fuerit, peribit . . . quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est. » Haec antiquorum doctrina est, quam qui se sequi gloriantur, non deserant, nec ad inania commenta antiquis ignota confugiant, ut ab obedientia S. Sedis practice se subtrahant.

Multa insuper exstant RR. PP. pia et erudita opera, quae cum nec ex Pontificia auctoritate ad de-

cidendas quaestiones ecclesiasticas, sed privato studio, conscripta fuerint, ad sententias SS. Patrum referimus. Item si Pontifex iudicis personam sustineat in decidendis litibus mere privatis, eius sententia ordinarie vim legis universalis non habet, quia ferendo sententiam in particulari causa non fungitur munere supremi legislatoris Ecclesiae universae ex potestate summa ad regendum populum christianum sibi concessa. Unde Imperatores quoque volunt, ut quae in particulari negotio statuerint, generalia iura non sint, sed leges faciant iis dumtaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerunt promulgata » lib. 2, c. de leg. Nihilominus potest talis sententia novum ius constituere, si Pontifex mentem suam exprimat, simulque, debitis modis, publicari ac promulgari curet, quod maxime fit, inserendo eiusmodi decisiones in corpus Iuris communis. Qua ratione legis generalis naturam induerunt plurimae sententiae Pontificum in Gregoriana collectione relatae. Si tamen causa aliqua, eiusque decisio saltem per consequens ad mores, vel doctrinam universae Ecclesiae pertineat, omnino tenendum est eiusmodi sententias habere vim constitutionis universalis, et ex quadam assistentia S. S. procedere, etiamsi quaestio facti aliqua interveniat, quae tamen connexionem habeat cum iuris quaestione ad fidem vel mores pertinente, ex. g. si Pontifex propositionem confixerit in sensu obvio et naturali, vel in sensu per auctorem intento, si regulas cuiusdam ordinis religiosi tamquam honestas et bonas adprobet, si cuidam coelitum publicum cultum decernat, de quibus suo loco erit sermo.

Insuper Pontifices ipsi declarant eam rescri-

ptorum suorum partem, quam *narrationem* dicimus, non adeo magna pollere multoties auctoritate, ut vel in favorem, vel in praeiudicium cuiusquam allegari possit, c. 10 de Priv. in 6. Neque enim ratio vel convenientia, quae ex superabundanti nonnumquam adiicitur legi alicui antiquae, tanti semper momenti est, ut ad eius pondus librare legem ipsam possimus, c. 8 de Consang. et af. §. quater narras. Obtinent ergo constitutiones pontificiae auctoritatem suam in eo sensu, et intra eos limites, intra quos ex mente Pontificis constringuntur. Nam si ea consideremus, quae dogma fidei attingunt, aliqua proponuntur ut fide divina credenda; circa aliqua probabilior sententia exhibetur, ex. g. de conversione aquae in sanguinem Christi, c. 6 de cel. Missae; circa aliqua utraque opinio Theologis tenenda et defendenda permittitur, prohibita alterutrius censura, ut in materia de auxiliis gratiae divinae; vel neutra quidem damnatur, una tamen solummodo publice propugnari permittitur; alia, ut conclusiones iuridicae traduntur c. 3, et 5, Extr. Ioan. XXII, de verb. signif.

Circa disciplinam morum Constitutiones quaedam Pontificum declarant diversa iuris naturalis, aut divini capita, uti Alexander VII, Innocentius XI, et Alexander VIII in damnatione variarum propositionum ad morum doctrinam pertinentium, et haec doctrina est prorsus immutabilis; aliae ordinant disciplinam ex doctrina Christi ab ipsis Apostolis constituta, et cuius statuendae convenientia semper eadem permanet, ut dum laici prohibentur usurpare officia praedicandi, c. 14 de Haeret., et haec numquam mutabitur; a-

liae statuunt pro certis temporum ac locorum circumstantiis, quod prae aliis facile mutatur, c. 1 de concl. in 6. Attendendum etiam est ad varias *qualificationes*, uti vocant, sub quibus aliquid damnatur tamquam haereticum, haeresim sapiens, erroneum, suspectum de haeresi, temerarium, scandalosum, vel piarum aurium offensivum, prout videre est in const. Auctorem fidei Pii VI. His omnibus perpensis, intelligi facile potest ad quid pontificiae constitutiones tum populum Christianum, tum Antistites universos obligare intendant; certe semper obligant ad summam venerationem, et exactam obedientiam statim ac nobis innotescunt, quum S. Pontifex in rebus quoque ad disciplinam, vel ad alia eiusmodi spectantibus, plenissimam habeat decernendi auctoritatem.

Id equidem luculentissime demonstratur, tum ex tribus illis Evangeliorum locis Matth. XVI, Lucae XXII et Ioan. XXI, ex quibus patet Christum in tribuendis Summo Pontifici (in persona Petri) clavibus regni coelorum cum potestate ligandi ac solvendi, et cum expresso confirmandorum fratrum, et agnorum, oviumque pascendorum mandato, eas adhibuisse verborum formulas, quae indefinitam habent vim, ac nullum prorsus limitatae potestatis iudicium continent; tum ex Patrum ac Summorum Pontificum monumentis, a quibus recensendis supersedeo, cum supervacaneum porsus sit in re minime dubia testes afferre non necessarios. Sufficiat legere formulam Hormisdae in Conc. Oecumenico VIII approbatam. Itaque disciplinae leges a Romano Pontifice sancitae, sive porro consentiant praecedentibus canonibus, sive in aliqua re

illis addant, vel derogent, cum fieri nequeat, ut quidquam in iis obrepat, quod a sanctitate religionis alienum sit, obligant per se eos omnes, pro quibus latae sunt, ut superiori §. 21 diximus.

In pontificiis autem sententiis, quibus particulares homines absolvuntur, vel condemnantur, perfecta rei iudicatae auctoritas est, ut proinde Episcopi, vel Episcoporum coetus infirmare illas non possint. Verum cum contingere possit, ut Romanus Pontifex in personarum causis diiudicandis, sive falso aliquo documento, sive alio modo, decipiatur, atque eum damnet, qui absolvendus erat, aut (quae frequentior species est) condemnandum absolvat; hinc est, ut Episcopi, ad quos editae sententiae exsequutio pertinet, utique poterunt, in his adiunctis, et non raro etiam debebunt executionem ipsam suspendere, ita videlicet ut rationes suas statim Pontifici significent, facturi deinde, quae ille rescripserit.

Quod si quis decreta pontificia, et praesertim eas leges, quae pro universali Ecclesiae disciplina conditae sunt, adeo contemnet, ut illas, quasi iuri divino contrarias damnare non dubitet, is certe ab insolentissimae contumaciae piaculo excusari non poterit. Nec levior esset eius audacia, qui a decreto cuiusvis generis a Romano Pontifice edito ad futurum Concilium oecumenicum appellaret, quod appellationis genus per duodecim et amplius saecula a nullo catholico homine usurpatum, ut observat Marchetti « Critica della Storia Eccl. del Fleury t. 2, append. n. 12, » et satis etiam reprobatum a maioribus nostris testimonio expresso, ut refert Devoti tom. 3 Iuris Can. univ. append. c. 6, severe postea interdictum fuit a Martino V et rur-

sus interdictum sub poena anathematis a Pio II Const. EXSECRABILIS, a Iulio II, a Sixto V, a Gregorio XIII, aliisque posterioribus Pontificibus. Vide Ben. XIV bullarium t. 1, Const. 14, § 2.

Porro Episcopi Romano Pontifici adhaerentes, cum consentiunt, atque obsequuntur decretis ab illo editis, non merum ea in re exsequutorum officium implent, sed funguntur etiam pastorali sua auctoritate, ut simul cum Romano Pontifice et iudicent, et iubeant. Atque hac in re, similis semper notio est, sive episcopalis consensio pontificiam sanctionem antecesserit, sive illam deinde subsequatur. Utroque autem in casu, etsi pontificium decretum ex plenissima Petri auctoritate supremam per se habeat obligandi vim, acquirit tamen, ex concordi illo inferiorum antistitum iudicio maiorem quemdam splendorem, quo homines ad sensibilia assueti quodammodo percellantur, atque ita ad obsequendum faciliori negotio moveantur.

§ 48.

De Rescriptis Pontificum Romanorum.

SS. PP. Constitutionibus adiungimus eorumdem Rescripta, quae sunt speciales quaedam Constitutiones, quibus ipsi Pontifices interdum motu proprio, plerumque tamen vel de iure ambiguo consulti, vel precibus permoti ad certas personas rescribunt. Ea quae Pontifex scriptis mandat, cum de iure respondet, *Rescripta iustitiae;* cum precibus indulget, *Rescripta gratiae* dicuntur. Igitur

rescriptis iustitiae ius dubium explicatur, quaestiones propositae dissolvuntur, vel ad alicuius petitionem iudex delegatur. Rescriptis gratiae beneficium, privilegium, aut gratia quaecunque conceditur.

Rescripta vero pro varia negotiorum gravitate, vel per simplicem Scripturam, vel per Bullas, aut brevia expediuntur.

Bullae conscribuntur in membrana quasi nigra, antiquo charactere gallico, seu longobardico, et expediuntur a die Incarnationis per cancellariam sub plumbeo, seu sigillo plumbeo pendente ex chordis, et praeferente ex una parte imagines SS. Petri et Pauli, et ex altera Papae regnantis. Brevia conscribuntur in membranis candidis, charactere latino, et subscribuntur ab eo, qui talibus expeditionibus praeest, sub annulo piscatoris, a die Nativitatis. Antiquissimus usus rescriptorum apostolicorum certis constat monumentis, licet multa maxima eorum pars temporum iniquitate interierit. Neque de necessitate, summaque utilitate istiusmodi rescriptorum ex apostolicis fontibus dimanantium ullum potest esse dubium. Iam vero pro diversa maxime materia, Romae sunt diversa Tribunalia et Secretariae, in quibus rescripta expediuntur. Eo referri possunt Secretaria Brevium, Dataria, Sacra Poenitentiaria, Congregationes Consistorialis, S. Inquisitionis, SS. Rituum, Indicis, Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum, Propagandae Fidei, Concilii Tridentini interpretum, Episcoporum et Regularium, Disciplinae regularis, Immunitatis ecclesiasticae, Fabricae S. Petri, Negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum, Studiorum, et Status regularium

tum etiam Tribunalia Signaturae Iustitiae et Gratiae, de quibus late loquitur Danielli in praxi Romanae Curiae, t. 4.

§ 49.

De auctoritate et usu Rescriptorum.

In Iure civili regula fuisse videtur, rescripta tantum ius facere in iis causis et personis pro quibus edita sunt, nisi in Codices publica auctoritate redigerentur, aut aliquid amplius continerent, quod eis vim legis generalis conciliaret; quod Ioannes Gothofredus multis probat in lib. 9 cod. Theod. *de diversis rescriptis*. At in Iure canonico plerique putant rescripta iustitiae, quibus peculiares quaestiones deciduntur, vim legis generalis habere, quamvis nec auctoritate publica in Codicem relata sint, nec aliud contineant, ex quo compertum sit Pontificem voluisse generalem legem condere. Sane Innocentius III c. 19 *de sent.* et *re iud.* sic edixit: « In causis, quae Summi Pontificis iudicio deciduntur, et ordo iuris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, cum in similibus casibus caeteri teneantur similiter iudicare: nisi forte cum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum. » Ex quibus verbis duae conditiones requiruntur, ut inferiores iudices, secundum rescripta vel decisionem Pontificis sententiam, ferre debeant. Prima est, ut casus sit omnino similis. Ad rem Card. De Luca in Annot. ad Conc. Trid. discursu I, num 12: « Cum illae decisiones, quae singulos vel particulares concernunt casus, ex eo-

rum particulari qualitate, et circumstantiis manare soleant, ideo alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles, cum diversimode ob diversam facti qualitatem saepius decernere congruat, quod vulgus male concipit, atque contrarietatem appellat. » Altera est, ut Pontifex prorsus rescribat, aut decidat, et non dispensando quidquam statuat; siquidem manifestum est dispositiones huiusmodi in iis tantum eventibus et personis valere, pro quibus concessae fuerunt.

Haec autem sententia, quamvis inter Iuris interpretes communior sit, suos tamen adversarios experta est ob eam causam, quod Pontifex non ea mente iudicium profert, ut Ius novum constituat, sed iam constitutum applicet; ideoque non legislatoris, sed iudicis munere fungitur. Huc accedit etiam, quod ius inter privatos dictum, privatam utilitatem, non bonum publicum respiciat, et praeterea publica promulgatione careat, quae duo ad naturam legis maxime desiderantur.

Verumtamen in medio relicta quaestione, illud apud omnes certum est epistolas, sive rescripta Pontificis legem dubiam interpretantia ius commune constituere, etiamsi ad privatam consultationem data fuerint; tunc enim Pontifex legislatoris personam gerit. Hinc Innocentius III c. 9 *de voto*, si, statuit: « Ex consultatione, quam ad inquisitionem tuam super negotium Cruce signatorum olim edidimus, viam invenisti ad alias quaestiones, et utrum, quod in ea dicitur ius constituat generale? Ad hoc igitur respondemus quod in consultatione nostra ius editur.» Et Iustinianus in L. *Si imperiali* Cod. de legibus: « Definimus,

inquit, omnem Imperatorum legum interpretationem sive in precibus, sive in iudiciis, sive alio quocumque modo factam, ratam, et indubitatam haberi. »

Rescripta gratiae sunt aut in forma gratiosa, aut in forma commissaria, aut in forma mixta. Rescripta in forma gratiosa ea sunt, in quibus Pontifex gratiam immediate ac sine ulla commissione impertitur, et duplici modo fit, seu verbis « S. S. benigne annuit pro petita facultate, » vel verbis « S. S. committit pro petito indulto arbitrio et conscientiae » si agatur de Episcopo, aut « arbitrio et prudentiae », si sermo sit de Cardinali. In priori casu nullus adest exsequutor, in altero exsequutor est merus, eiusque officium in facto consistit, ut ait de Rosa De exsec. litt. apost. p. 1, c. 3, n. 1: Clausula-arbitrio-est expressio merae convenientiae, ac reverentiae erga exsequutorem, nullam ei potestatem confert haud exsequendi rescriptum. Rescripta in forma commissaria ea sunt, in quibus Pontifex per se gratiam non concedit, sed committit ordinario, ut eam, si in domino expedire iudicaverit, faciat. Verba sunt: « S. S. remittit preces arbitrio ordinarii cum facultatibus necessariis et opportunis, ut super praemissis providere possit, » vel: « S. S. facultatem tradit ordinario petitum indultum, si expedire iudicaverit, oratori concedendi. » Tandem rescripta in forma mixta, seu gratiosa simul et commissaria, ea sunt, in quibus Pontifex utique gratiam facit, sed dependenter a conditionibus ab ordinario verificandis, ex. g. « S. S. annuit arbitrio Episcopi, constito de evidenti utilitate, et accedente consensu interesse habentium, pro petita facultate, vel vendi-

tione etc.» Haec rescripta important, ut exsequutor conditiones adiectas sedulo ac fideliter adimpleat, idque praestare potest sive vi iurisdictionis voluntariae, ubi causae cognitio absque strepitu iudicii, nullo exstante contradictore, fieri potest, sive vi iurisdictionis contentiosae, quando in rescripto adest clausula « servatis servandis, vocatis de iure vocandis etc.,» quae iudicialem cognitionem important, ut observat De Rosa l. c. p. 1, c. 7. Post haec, nemo est qui non videat, rescripta in forma commissaria ac mixta a tempore exsequutionis vigorem obtinére et solum ius ad rem eventuale ac resolubile habere ; rescripta vero gratiosa a die datae vim exserere, et ius in re quodammodo acquisitum importare ; ex quo illud consequitur quod, si duo litteras ad idem beneficium impetraverint, ex tempore datae, caeteris paribus, iudicandum sit, uter praeferri debeat.

Rescripta iustitiae a die factae insinuationis generatim valere incipiunt; insinuari autem tamdiu possunt, quamdiu durat actio, aut exceptio, ob quam impetrata sunt. At illius qui per annum insinuationem neglexit, et interim adversarius eius aliud rescriptum consequutus est, rescriptum prius exspirat. Nam Innocentius III c. 23, *De Rescr.* sic respondit: « Si quis nostras litteras impetrans, intra annum, postquam copiam iudicum habuerit, ex malitia vel negligentia postposuerit uti eis, auctoritate posteriorum litterarum valeat conveniri, licet in ipsis nulla de prioribus mentio habeatur.» Rescripta iustitiae strictae interpretationis sunt, Gl. in cap. Nonnulli ubi dicitur « quod lites restringendae sunt, potius quam laxandae. » Rescripta gratiae, ubi nullum preiudicium afferant ex

cap. Alia de V. S. largissime sunt interpretanda, exceptis iis super beneficiis ecclesiasticis obtinendis, quae utpote ambitiosa restringi debent, cap. Quamvis 3 de Praeben.

§ 50.

De Rescriptis vitiosis ratione personarum.

Rescripta vim non habent, nisi vitiis expertia sint. Triplici autem vitio laborare rescripta possunt, videlicet, vitio *personarum*, quae inabiles sint vel concedendis, vel obtinendis rescriptis; vitio *precum*, quae veritatem supprimant, vel falsitatem contineant; et vitio *formae*, quae legitime exarata non fuerint.

In primis itaque de persona concedentis, et impetrantis videndum est. Rescripta concedere potest, qui suprema potestate pollet, iisque tantum in rebus, quae ipsius imperio subiiciuntur. Ex quo intelligitur soli Pontifici in rebus spiritualibus et ecclesiasticis, Principibus autem Supremis in temporalibus rescribendi auctoritatem inesse, eorumque rescripta seu iustitiae, seu gratiae inutilia esse, si propriae potestatis limites egrediantur. Sic natalium restitutio per rescriptum Principis impetrata ad effectus civiles facit, ad officia et beneficia ecclesiastica nullum momentum habet.

Rescripta consequi quisque potest sive pro se, sive pro alia persona; et quidem rescripta gratiae pro persona etiam non mandante, imo penitus ignorante, utiliter impetrantur. At rescriptum *ad lites* irritum est, si pro alio petatur sine speciali

ipsius mandato, nisi pro iis personis petatur, a quibus non debet de iure exigi mandatum, quales ex. gr. sunt parentes et tutores (c. 28 *de rescript.*). Praeterea nullam ex rescriptis utilitatem ferre possunt haeretici, et maiori excommunicatione irretiti, etiamsi non vitandi, et occulti sint. Quamobrem ad cautelam solvi ab excommunicatione ii solent, quibus a Summo Pontifice gratia, aut privilegium impertitur; quae tamen absolutio tantummodo efficit, ut illud peculiare rescriptum effectu suo non careat.

§ 51.

De vitio precum.

Ex vitio precum irrita rescripta sunt, si veritas secundum Curiae stylum, et Iuris regulas exponenda reticeatur, aut falsa sint, quae narrantur. Rescriptis enim haec semper conditio, etiamsi expressa non sit, inesse censetur, *si preces veritate nitantur*. Ubi aliquid reticitum est, quod exponi oportuisset, rescriptum *subreptitium* dicitur; si quid falsi narratum est, *obreptitium* appellatur. Interim ad rem praesentem nihil interest, utrum subreptio interfuerit, an obreptio, sed magni interest, an obreptio ex dolo et malitia, an ex sola ignorantia, et simplicitate contigerit. Itaque Pontifex (c. 20 *de Rescript.*) tres regulas statuit.

Prima est: « Qui fraude vel malitia falsitatem exprimunt, aut supprimunt veritatem, in suae perversitatis poenam nullum ex iis litteris commodum consequantur. » Haec autem regula tum rescripta gratiae, tum etiam iustitiae complectitur: utraque

enim ex communi sententia nulla sunt, atque irrita, etiamsi suppressio veri, vel narratio falsi praecipua causa non extiterit, quamobrem rescriptum concessum fuit. Rescripta tamen ad lites non ipso iure sunt irrita, sed ope exceptionis irrita fieri possunt. Vide Fagnanum in cap. *Caeterum* de Rescript. num. 9 et Pirringh l. 1, t. 3, sess. 1.

Secunda regula est: « Qui ex ignorantia, vel simplicitate litteras impetrant, distinguendum est, quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit suppressa, nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita vel expressa, Pontifex nihilominus saltem in forma communi litteras dedisset, Delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem iuris in causa procedat. » Igitur utile rescriptum erit, ubi ex ignorantia, vel simplicitate falsum expositum, aut verum silentio praetermissum concessioni causam non dedit; nullam namque poenam simplicitas, et ignorantia meretur. Illud tamen Pontifex admonuit in exsecutione decreti, « non secundum formam in ipsis litteris appositam, sed secundum iuris ordinem procedendum; » quo significatur huiusmodi decreta in substantialibus, ut aiunt, consistere; in reliquis autem iuri communi accommodanda esse: ex. gr. si iudex delegatus fuerit, ut de plano, et appellatione remota, procedat, delegatio iudici valet, sed iudici procedendum erit, iuris ordine servato.

Tertia regula est: « Si per falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis litterae fuerint impetratae, qua tacita vel expressa, nullas prorsus litteras Pontifex dedisset, a Delegato non est ali-

quatenus procedendum. » Haec regula superioris appendix, et explicatio est. Quaeri enim poterat, quidnam iudicandum, ubi subreptio, vel obreptio, etiamsi ignorantiae vel simplicitati tribuenda esset; attamen rescripti causa extiterat? Igitur rescriptum huiusmodi prorsus irritum habendum est, quandoquidem, deficiente causa finali, quae ad rescribendum Pontificem movit, ipsius Principis voluntas defuit, ex qua rescriptorum vis omnino pendet. Si plures sint causae finales, quarum aliqua falsa sit, distinguendum est. Si causae allatae non sufficiebant singulae, irritum est rescriptum. Si aliqua per se adaequata est, ac remanet, validum erit.

§ 52.

De vitio formae.

Tertio tandem modo rescripta irrita sunt vitio formae, si nimirum in eorum expeditione vel desint characteres veritatis, vel notae falsitatis inveniantur. Veritatis characteres habentur, si rescriptum exaratum sit secundum eas solemnitates, quae ex iure, et stylo Curiae servari debent: quales sunt salutationes, sigilla, filum, charta, forma litterarum subscriptio, data, aliaque id genus. Falsitatis vero notae sunt: 1° Si rescripta in loco suspecto abrasa, aut vitiata appareant; locus autem suspectus est, quo *substantialis*, ut aiunt, rescripti pars continetur, nimirum Pontifex declarat quid, quantum, quibus modis, et conditionibus rescribat. 2° Si gravis et manifestus error latinitatis occurrat, « Quibus litteris nostris, ait

Pontifex c. 11 de rescript., cum manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere. » In quem locum sic habet Glossa: « Patet quod vitium latinitatis vitiat rescriptum. Sed propter modicum defectum, vel errorem, qui vel scriptori, vel nimiae occupationi tribui potest, rescriptum non vitiatur. » Hinc Honorius III, c. 11 *de fide instrument.* respondit: « Quia rescriptum apostolicum, pro eo quod in hac dictione SPOLIARUNT, haec figura O deerat, asseritur vitiosum: mandamus quatenus, hoc non obstante, in negotio ipso, praevia ratione, procedas. » 3° Si ius tertio quaesitum adimatur; nam regulae de iure quaesito non tollendo derogare Pontifex non censetur, quamvis rescriptum ediderit, motu proprio, et ex certa scientia, aut de plenitudine potestatis, cum derogatione Constitutionibus Apostolicis, et Regulis Cancellariae, etiam cum clausula: *Quorum tenorem etc.*, aliisque generalibus derogationibus. Sed prorsus opus est, ut ipsi regulae *de iure quaesito non tollendo*, expressis verbis, derogetur, quo casu derogatio prodest, si de publica causa agatur, in qua ius tertii iuri publico postponitur. At si de causis privatis ageretur, plures Doctores dubitant, utrum Pontifex, sine causa, possit ius quaesitum auferre, et idcirco rescripta huiusmodi, si qua Pontifex forte dederit, eo animo dedisse videtur, ut effectum consequerentur, si et quatenus praeiudicium tertii vitari posset. 4° Si clausulis derogatoriis non sint munita. Itaque si rescriptum iuri communi contrarium sit, ipsius iuris mentio, et derogatio postulatur, ut appareat Pontifici rescribenti et contrarii iuris scientiam et voluntatem derogandi non defuisse. Quapropter

constitutiones generales a rescriptis in hoc differunt, « quod Pontifex constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur (cap. LICET de Const. in 6); sed rescripta data contra legem non valent, nisi in ipsis fiat mentio de lege » ut notat Glossa in idem caput ad verbum NOSCATUR.

Sed quaestio est, an derogatio generalis « Contrariis quibuscunque non obstantibus » vel « non obstantibus Constitutionibus Apostolicis » sufficiat, an specifica derogatione opus sit, ex. gr. *Non obstante Constitutione Concilii Lateranensis?* Qua in re praemittendum est, usque ad saeculum XIII eum morem in Romana Ecclesia viguisse, ut in rescriptis, aliisque Constitutionibus, quae iuri communi, aut Conciliis Generalibus adversarentur, clausula specialis derogationis nunquam, aut raro adhiberetur, quod Passerinus demonstrat ad caput LICET de Const. in 6. Sed postquam Innocentius III in Concilio Generali Lateranensi statuit, « ne quis ultra duas diaetas extra suam Dioecesim per litteras apostolicas ad iudicium trahi posset, nisi de assensu partium fuerint impetratae, vel expressam de ipsa Constitutione fecerint mentionem; » et Honorius III in cap. EX PARTE de Cappellis Monach. Apostolicas litteras non ratas habuit ob eam causam, quod « obviarent Lateranensi Concilio, de quo nulla esset mentio in litteris antedictis, » tum primum controversia orta est, quam supra proposuimus. At vero textus Innocentii III, et Honorii III adeo perspicui sunt, ut interpretes accuratiores existiment, derogationem expressam et specialem desiderari, ubi rescripta a Generalis Concilii decreto aliena sint; caeteris

autem Canonibus et Constitutionibus Summorum Pontificum necesse non esse, ut speciatim derogetur, sed generalem derogationem satis haberi, siquidem dicti textus de solis Conciliis verba faciunt: excipiendas tamen esse regulas Cancellariae, quibus ex regula 71 numquam derogatum censetur per quaecumque verba, et decreta derogatoria, irritantia, universalia et amplissima, nisi ipsarum mentio, disertis verbis, habeatur.

Verum decreta Concilii Tridentini specialem derogationem non postulant; cum enim Concilium ipsum, ut inquit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. XIII, cap. 24, num. 23, « perspicue declaraverit, sess. 25, cap. fin., omnia et singula sub quibuscunque clausulis et verbis, quae de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in eo statuta fuerunt, ita statuta et decreta intelligi debere, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit, et esse intelligatur; hoc satis est, ut removeatur necessitas expressae derogationis, proindeque sufficiat ad hoc, ut derogatum censeatur oppositae conciliari sanctioni, si Pontifex aliquid ipsi contrarium indulserit, aut decreverit, supplicemque libellum, seu alias archetypum litterarum apostolicarum exemplar, sua ipse manu, signaverit, iuxta definitionem editam a s. Pio V per schedulam sui motus proprii, relatam a Garcia de beneficiis part. 4, cap. 5, num. 32 et 33. »

§ 53.

De exsecutione et cessatione rescriptorum.

Rescripta Apostolicae Sedis nonnisi viris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Canonicis ecclesiarum cathedralium exsequenda committi solent. Antequam vero exsecutor rem commissam ad exitum deducat, inquirat oportet, num preces veritate nitantur. Quamobrem rescriptum exsequi non debet, si obreptionem, aut subreptionem, aut aliud in eo vitium compererit.

Pluribus vero modis rescripta cessant.

1° Rescripta iustitiae, concedentis morte, exspirant, si res adhuc integra sit, quippe quod mandatum morte mandantis, re integra, finitur; res autem per litis contestationem, aut saltem per citationem integra esse desinit. Verum rescripta gratiae in forma gratiosa, etiamsi res adhuc fuerit integra, per obitum concedentis non exspirant (c. 16 de *R. I.* et c. 9 de *Offic. Deleg.* in 6), quia decet concessum a principe beneficium esse mansurum.

2° Rescripta cessant lapsu temporis praefiniti. In rescriptis iustitiae terminus ad finiendam causam, si in rescripto praefinitus non sit, iudicis delegati arbitrio praefiniri poterit. Si vero dies praefinita sit, delegatus intra eam diem munere suo fungi debet, ne iurisdictio sibi commissa evanescat (c. 24, *De Off. Iudic. Deleg.*). Sed quia terminus in commodum partium constituitur, ideo potest ipsarum consensu prorogari *(cap. 4 eodem)*.

3° Rescripta gratiae ad vitam Pontificis concessa intelliguntur, si hanc clausulam praeferant

ad Beneplacitum Nostrum: non item rescripta, quibus adiecta clausula *ad Beneplacitum Sedis Apostolicae*, quia Sedes non moritur (*c.* 5, *de Rescript. in* 6). Universim vero, si rescripta gratiae nullo temporis spatio alligata sint, perpetua habentur, videlicet duratura ad eius vitam, qui rescriptum consequutus est. At rescripta iustitiae haeredibus, et successoribus etiam prosunt; nam rescripta gratiae personam, rescripta iustitiae causam praecipue spectant.

4° Rescripta cessant morte eius, cui exsecutio rescripti mandata fuit; si tamen industria, et fides personae electa sit, idque intelligitur, ubi res committitur per haec verba: « Fidei et diligentiae tuae committimus, discretioni tuae mandamus, super quibus conscientiam tuam oneramus, per te expediri mandamus, ut personaliter exsequaris, » et similia. Si vero delegatio non personae, sed dignitatis intuitu facta sit, ut si dicatur « Vicario Capitulari, » vel « Ordinario Parisiensi, » tum potestas exsequendi rescripti transit ad successores, cum dignitas non intereat.

De rescriptis satis dictum est, qua in re fortasse etiam plus versati sumus, quam opus esset. Si quis tamen aliquid amplius scire desiderat, videre poterit Gonzalez, Pirrhing, Schmier, aliosve interpretes Decretalium ad lib. 1, tit. 4 *de Rescriptis.*

§ 54.

De Iure Civili.

Postremum denique Iuris Canonici fontem appellamus Ius civile Romanorum, tum quia multa ex romanis legibus, et praesertim ex Codicibus

Theodosiano, et Iustinianeo sumpta fuerunt, et in Ius canonicum translata, tum quia in negotiis et causis ecclesiasticis, de quibus in ipso Iure canonico nihil proditum est, perscrutari Iuris civilis regulas, easque sequi debemus. Si quis enim S. Gregorii Magni epistolarum libros perlegat, is profecto cognoscet, S. Pontificem civilibus Romanorum legibus saepius usum fuisse, easdemque civiles leges Episcopis, aliisque iudicibus ecclesiasticis proposuisse, quibus in exercendis iudiciis uterentur. Qua de re potissimum legenda est eiusdem Pontificis epistola ad Ioannem Defensorem in Hispaniam euntem conscripta, in qua illum edocens, quemadmodum in ecclesiasticis controversiis se gerere deberet, quas ei regulas dedit, eas omnes ex civili Romanorum Iure deprompsit.

S. Gregorii Magni exemplum alii Pontifices imitati sunt. Quapropter Lucius III, c. 1, de novi oper. nunciat. in controversia inter duas Ecclesias exorta ob cappellae cuiusdam aedificationem, cum Episcopo Patavino iudici delegato « dubium videretur, utrum canonico procedi posset iudicio, cum nihil de nunciatione novi operis esset in canonibus definitum? » ita rescripsit: « Sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur. » Ubi Glossa ad verbum *adiuvantur* haec habet: « In causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, si canones deficiant, possit iudicari secundum leges. » Et Abbas in idem caput num. 3 inquit: « Causa Ecclesiae debet decidi per Ius civile in defectum canonum. » Hinc sententia contra leges civiles, vel sacros canones ab iudice ecclesiastico lata ipso

iure nulla est, ut habetur c. 1, de sentent. et re iudicata: « Sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso iure. »

§ 55.

De Regulis in usu Iuris civilis observandis.

Nemo tamen existimet in omnibus causis ecclesiasticis fas esse civilium legum auctoritate indiscriminatim uti; in quibusdam enim causis omnino non licet. Quando igitur id fieri possit, explicandum est.

Sed in primis praemonere oportet, nonnullas civiles leges a sacris canonibus probatas fuisse, alias vero correctas, caeteras silentio praetermissas.

« Cognationem legalem, ait Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. IX, cap. 10, et quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo a iure civili statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I in responsione ad consulta Bulgarorum c. 2, cuius responsionis fragmenta referuntur in c. ITA DILIGERE 30, quaest. 3, in c. unic. de Cognat. legal. Quamobrem si quaestio incidat, sive in tribunali ecclesiastico, sive in Synodo, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controversia decidenda. » Sic etiam in Corpus Iuris Canonici relatae sunt leges civiles de impedimento cognationis spiritualis, deque experimento triennali in causa impotentiae; et secundus Decreta-

lium liber, qui ad iudicia ecclesiastica pertinet, magnam partem ex iure civili descriptus esse videtur. Divisio etiam status hominum in liberos et servos, legitimos et illegitimos, puberes et impuberes, minores et maiores, multaeque aliae Romanorum leges ab Ecclesia probatae susceptaeque fuerunt.

Contra vero ab Ecclesia correctae reprobataeque sunt Romanorum leges, quae concubinatum, divortium, infidelitatem in sponsalibus, consobrinorum nuptias, usuras proprie dictas, praescriptiones cum mala fide, occisionem adulteri a marito vel patre factam probaverunt. Praeterea alia multa, quae in iure civili minus pie, et religiose constituta videbantur, Ecclesia mitigavit, emendavitque. Sic viduam, quae intra annum luctus ad secundas nuptias transit, omni infamia carere voluit; matrimonia filiorum familias et servorum sine consensu parentum, vel dominorum contracta valere, seu vera rataque esse statuit; declaravit filiis quoque illegitimis alimenta a patribus deberi; iusiurandum adiectum contractibus, quos sola humana lex irritat, servari iussit. Confer P. Gallum Cartier *Institut. Iurisprudentiae Canonico-Civilis* cap. IV, § 2, et Henricum Canisium *de differentiis Iuris Canonici et civilis*.

Iam vero nemo est, qui non intelligat leges civiles, quas Ecclesia probavit et recepit, a nobis probandas esse recipiendasque; improbandas vero atque reiiciendas, quas ipsa improbavit vel correxit.

Quid vero sentiendum est de iis legibus, quas Ecclesia nec approbavit, nec improbavit, sed silentio praeterivit? « Eiusmodi leges, ait Benedi-

ctus XIV de Synod. Dioec. lib. IX, cap. 14, si rem spectent mere profanam, nec ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacite approbatae videntur in c. 1 de novi oper. nunciat.» Itaque, ut hanc regulam adhibere recte possimus, animadvertamus oportet, quae res profanae, quae contra spirituales, et ecclesiasticae dicendae sint. Itaque ubicunque Ius Canonicum de aliqua re aut nihil, aut obscure statuit, eius supplendi vel interpretandi causa, si res mere profana sit, ad ius civile, si spiritualis aut ecclesiastica sit, ad scripta Sanctorum Patrum confugiendum erit. Haec spectant Ius civile Romanorum, quo SS. Pontifices saepe usi sunt ut ecclesiasticas controversias dirimerent, quodque iudicibus, in negotiis definiendis, sequendum proposuerunt. Unde factum est, ut Ius commune romanorum per morem et consuetudinem Ecclesiae, in pluribus quodammodo approbaretur. Id porro nil impedit, quominus, iuxta ea, quae diximus, regula observata, Ius civile principum in foro ecclesiastico usurpemus, praecipue si ab Ecclesiis particularium nationum expresse approbatum, vel tacite per usum et mores receptum merito sit in iis, quae sacris canonibus non adversantur.

Recentiores Canonistae, apertis, explicatisque Iuris canonici fontibus solent eiusdem Iuris *Adminicula* subiungere: « quae quidem, ut ait Iosephus Schell in institutionibus Iuris ecclesiastici P. Mauri de Schenkl sect. 1, cap. 4, §. 73, legum ecclesiasticarum rationem sufficientem haud continent, nec earum propriae fontes sunt; at in cognitionem principiorum inducunt, usum eorum expeditiorem, et notitiam Iuris ecclesiastici pleniorem reddunt et solidiorem. » Inter haec recenset Historiam ecclesiasticam, Historiam Iuris, Criticam sacram, Chronologiam, et Geographiam, itemque Theologiam dogmaticam, quam, ut

optime ait « insigne esse iurisprudentiae ecclesiasticae adiumentum nemo inficiabitur, qui perpenderit, eadem fere esse utriusque disciplinae principia, leges plures pendere ex dogmatibus, ex. gr. de Liturgia, s. Ordine, Hierarchia, Matrimonio, etc., et rationem, ne aberret, ad revelationis normam perpetuo esse dirigendam. »

Haec itaque magna et multa adiumenta comparare sibi debet, qui universum Ius Canonicum publicum et privatum eiusque principia bene provisa exploratáque habere cupit. De his adiumentis, sive adminiculis plura dicemus capite ultimo.

CAPUT IV.

DE CANONUM COLLECTIONIBUS

§ 56.

De collectionem Canonum origine, methodo, et auctoritate.

Ea hucusque recensuimus, ex quibus totum Iuris canonici systema conflatum est, quaeque vim obtinent materiae, nempe S. Scripturam, Conciliorum canones, opera SS. Patrum, et decreta SS. Pontificum, tum etiam aliquid attigimus de libris Iuris civilis, aliisque profanis, quibus usi sunt collectores canonum, quandoquidem ius etiam civile inter fontes Iuris canonici recensetur. Superest modo, ut quam istud formam primum habuerit, quam progressu temporis acceperit, et quam hodie habeat, enumeratis variis canonum collectionibus, pro instituti nostri ratione breviter inspiciamus. Quoad formam ordinemque Iuris canonici tria tempora spectanda sunt: 1ᵐ ecclesiasticas Constitutiones complectitur, quae ante collectionum volumina, quibus constat hodiernum Iuris pontificii Corpus, edita sunt; 2ᵐ vero continet ipsum Iuris canonici Corpus, seu medii temporis compilationem; 3ᵐ quaecumque his postea, tum Conciliorum posteriorum et Pontificum auctoritas, tum specialia nationis, provinciae, Ecclesiae cuiusque statuta adiecerunt. Quamobrem

Iuris canonici interpretationes suscipientibus tria sunt necessaria; primum est, origo et progressus huiusmodi iuris; secundum, ars et methodus, quam singuli collectores industriores graeci ac latini maxime adhibuerunt; tertium, auctoritas et usus cuiusque collectionis, et haec quidem generalia tradere proposui, seu potius per indicem attingere. Hinc enim facile quisque noverit, quid et quo tempore sit inductum; mutationes et vicissitudines Iuris canonici generaliter saltem cognoscet, quod incipienti satis est; qui vero ultra progredietur, artificium deteget, simul usum et auctoritatem cuiusvis collectionis investigabit, qua ratione apocrypha, et quae sunt dubiae fidei statim odorabitur, itemque si quid in omnibus Ecclesiis universaliter, si quid specialiter in aliquibus observetur, distinguet.

Ecclesiae tribus primis saeculis sine regularum, et definitionum certa collectione gubernatam fuisse, sed pleraque consuetudine, observantia, et moribus constitisse existimant nonnulli, id autem prudentiae SS. Patrum repugnare putant alii. Videtur verosimile prius in Oriente, quam in Occidente digestas fuisse Canonum collectiones. Quidquid sit autem de privatis, et singulis Ecclesiis, quarum pro illorum temporum ratione non aequalis erat stabilitas, et firmitas, certe collectionem, quae universam Ecclesiam constringeret, ante Concilium Nicaenum, praeter Sacras Scripturas, non extitisse mihi persuadeo. Pace autem Ecclesiis per Constantinum reddita, variae collectiones, variis temporibus, formatae sunt, primum in Oriente, mox etiam in Occidente, quae vocabantur *Codices Canonum.* In eo quidquid erat re-

latum, vim, et auctoritatem legis obtinebat in Ecclesia, cuius usui Codex primum publica auctoritate accommodatus, vel a privato quidem compositus, publica dein potestate susceptus erat. Quo spectat Pauli Iosephi Riegger Dissertatio de Collectionibus Iuris ecclesiastici ante-Gratianei. Ut igitur veram nobis efformemus ideam de Canonibus, quos variae collectiones comprehendunt, inquirendum in primis, num collectio illa publica auctoritate sit facta, vel postmodum probata, an vero privatum solummodo sit opus cuiusdam collectoris. Si nulla publica auctoritas intercessit, tum Canones illic relati aliam auctoritatem non obtinebunt, praeter eam, quam acceperunt ex fontibus, unde desumpti sunt, ad quos proinde fontes recurrendum erit. Si vero Codex publica auctoritate collectus, aut probatus fuerit, ulterius inquirendum, an Ecclesiae universalis, vel plurium particularium Ecclesiarum, an unius consensu confectus, vel receptus sit. Eo enim maior erit Canonum auctoritas, quo universalior Codicis receptio, aut comprobatio.

Aucta in diem Canonum supellex postulavit, ut Canones ipsi in unum Codicem, aut in plures colligerentur. Aucta in dies Codicum copia postulavit, ut certus ordo Codicibus, rebusque in eisdem contentis praeberetur. Ordo Codicibus praebitus non idem omnibus placuit; alii servarunt ordinem temporis, alii ordinem rerum. Antiquissima aetate, cum adeo ingens erat Canonum multitudo, opportunior iudicabatur ordo temporum: recentiores in conspectu amplissimorum Codicum, neglecto temporum ordine, ordinem rerum meliorem esse censuerunt. Eadem ipsa, et Canonum,

et Codicum amplitudo et copia occasionem nonnullis dedit parcendi in ferendo labore immani, qualem postulavisset undecumque integra collectio monumentorum in huius locum, subrogatis Codicibus compendiariis, sive breviariis, in quibus haud paucis contraherentur prolixae Canonum sententiae, aut sola fragmenta Canonum, detractis caeteris, describerentur. Hinc triplex collectionum genus: aliae omnino integrae, in quibus nihil omnino omitteretur; aliae recisae, in quibus verba ipsa Canonum ex fide fuerunt descripta, nonnullis tamen detractis, atque sepositis; aliae compendiariae, in quibus collectores, mutatis verborum formulis, sententias Canonum paucis contraxerunt. Deinde spectatis collectorum characteribus in duas iterum species distribuuntur Codices Canonum, quorum alii iuris publici sunt, alii iuris privati. Iuris publici eos appello, qui auctoritate Episcoporum fiebant, ut in Archivio cuiusque Ecclesiae collocarentur, et ad normam gerendorum custodirentur. Privati iuris eos dico, quos quisque privatus, aut suis studiis indulgens, aut gratia aliorum disciplinae ecclesiasticae studiorum, adornabat, et Ecclesiis, aut Episcopis praesertim, ubi deficerent Codices Iuris publici, dono dabat, bono publico dicatos. Solebant Episcopi, in Codicem in Archivio custodiendum, referre Canones Conciliorum generalium, Canones dioecesanos, item suae provinciae, vel nationis, quos secum adferebant, cum ad suas Ecclesias a Conciliis reverterentur. In his Codicibus, ut plurimum servatus est ordo temporum. Utebantur Episcopi manu Notariorum Ecclesiae suae, quibus praesidebat Primicerius. Non semel, his Codicibus, adiungebantur Canones

quidam particulares aliarum dioeceseos, provinciarum, et nationum, sive ut apparere posset, quibus regulis alii uterentur, sive ut eosdem Canones ad suam quoque Dioecesim tamquam utiles traducerent. Qui privatim privatos Codices exornabant, arbitrio suo indulgebant sive in ordine, quo singula digerebant, sive in delectu Canonum.

Collectionum utilitas maxima semper fuit, immo et necessitas agnita, propterea quod canones, qui in multis voluminibus fusi atque dispersi habebantur, collectione apta, sub uno aspectu, posita sunt, ipsaque collectionis species legentis animum regit et continuo, quasi filo, a primis eorum initiis ad finem usque perducit. Sed vitia, pravaeque affectiones, quae quamdiu erunt homines, res quasque vel maxime utiles ac necessarias inficient, et illas identidem labefactarunt. Erant Canones in unum colligendi; collectorum Canonum plura erant cudenda exemplaria, Canonum Codices, et plura Codicum exemplaria erant custodienda. Triplicis ergo generis personarum vitia quandoque notari debuerunt, videlicet collectorum, amanuensium, et custodum; quae vitia satis persequitur laudatus Berardi Instit. Iur. Eccl. § 1, tit. 6, § 4 et seqq. Canonum studiosi quotquot praemunire se adversus haec Codicum vitia velint, hisce remediis uti possunt. Varia prae oculis habeant Canonum iam pridem editorum exemplaria, ex quibus collatio fiat Codicum cum Codicibus compendiariis; quas repererint Canonum sententias, sive breviaria, item fragmenta, et excerpta, exigant ad Codices integros, et quos noverint optimos; in fidem, ac religionem collectorum, eorumque peritiam inquirant, Canonum, et Codicum fata, ex Historia Ecclesiastica, investi-

gent; denique ex his, omnibus utantur regulis artis criticae prudentioribus. Hodie, complurium sollicitudine, magna sunt in hanc rem parata praesidia, et monumenta undique quaesita, istaque iuxta temporum ordinem, quoad fieri potuit, exposita, discussa antiquorum collectorum fides, et quorumdam artes detectae, Historia Ecclesiastica exculta, certaeque regulae iam concinnatae ad artem criticam, duce prudentia, dirigendam.

Duplex est artis criticae pars; prima spectat aequabilem germanorum Canonum interpretationem, eo dirigens studiosos, quo Canonibus sententiam affingant causis et adiunctis omnibus apprime convenientem; qua in re nemo eo officio fungi belle potest, nisi temporum notas assignaverit, atque historiam haereseum, schismatum, ac morum apprime calluerit. Posterior pars spectat iudicium, quo de fide, integritate, ac veritate monumentorum sententia feratur. Huc autem spectant certae regulae, quas tradidit Berardus Inst. Iuris Eccles. §1, tit. 8. Prudentia, maturitas, scientia, sobrietas, consilium hanc rem comitari debent, atque ubi opus, aestum ingenii, et forte nimis subtilem mentis aciem cohibere; secus verendum est, ne in locum scientiae, Pyrrhonismus quidam substituatur.

Rem repeto numquam satis inculcatam, scilicet evitanda duo extrema, primum, ne promiscue, caecutientium more, rapiamur omni vento doctrinae, neve offendamus in omnes res, in quas incurrimus: alterum, ne praetextu avertendi erroris, singula a nobis facile ablegemus.

Egregiam nobis operam navavit Andreas Pallandus sua, quam edidit Venetiis 1778 de vetustis Canonum collectionibus, dissertationum syl-

loge, quibus virorum doctissimorum cura, et studio elucubratis (licet interdum nimis subtiliter, quoad collectiones potissimum Isidori Mercatoris, et Gratiani), de Iuris ecclesiastici origine, atque progressu luculentius disseritur. Occurrit enim primo dissertatio de antiquis Canonum collectionibus, deque variis epistolarum pontificum editionibus, auctore Petro Coustant presbytero et monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri. Coustantianam dissertationem excipit altera Petri de Marca Archiepiscopi parisiensis dissertatio de veteribus collectionibus Canonum. Sequitur de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus Canonum ad Gratianum usque, tractatus in quatuor partes distributus, auctoribus laudatis fratribus Ballerini, appendici ad S. Leonis Magni opp. praefixus anno 1757. Hunc excipit Caroli Sebastiani Berardi antecessoris taurinensis dissertatio de variis sacrorum Canonum collectionibus ante Gratianum. Hactenus expositis, dissertationes tres Paschalis Quesnelli auctor hic suffecit, in quarum prima de Codice Canonum Romanae Ecclesiae; secunda de variis fidei libellis in antiquo Romanae Ecclesiae Codice contentis; tertia de primo usu Codicis Canonum Dionysii exigui in Gallicanis regionibus cum Ballerinianis adnotationibus, et observationibus in easdem Quesnellianas dissertationes, tum refert Caroli Blasii duriusculum tamen commmentarium de collectione Canonum Isidori Mercatoris, cui adnectitur diatriba de Capitulis ad Angelramnum Hadriano I Papae tributis, auctoris eiusdem. Duo insuper opuscula clarissimi Francisci Florentis adiicienda curavit, scilicet eius dissertationem de methodo,

atque auctoritate collectionis Gratiani, et reliquarum omnium collectionum Decretalium post Gratianum, et Orationem de recta Iuris canonici discendi ratione, ubi quae maxime in Gratiani collectione sint cavenda ostenditur. Agmen claudunt Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis de emendatione Gratiani Dialogorum libri duo, non tamen Balutianae Editiones Parisiis anni 1682 virga censoria merito damnatae ex Decreto Sacrae Congregationis Indicis diei 29 iunii 1674. Merito igitur quisque scire primum omnium exquirat, quinam sint, quamquam praestantes, auctores illi, quorum scripta in posterum evolvenda, atque ediscenda susceperit. Nil autem aptius est ad lectorum utilitatem atque oblectationem, quam rerum initia, incrementaque nosse, quaeque pro temporum vicissitudine in ecclesiasticae disciplinae sanctionibus exorta fuerint, aucta, immutata penitius intelligere. Id praestiterunt laudati auctores. *SS. Patres* inquit Leo Magnus epist. 53 *mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum Canonum condiderunt..... ut quae ad perpetuam unitatem generaliter instituta sunt nulla commutatione varientur*, quandoquidem ut idem alibi, scilicet Epist. 62: scripsit, *universae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua Canonibus observantia intemerata servetur.* Huiusce rei testes locupletissimi veteres sunt Canonum Codices cum graeci, tum latini diligenti studio antiquitus digesti, quos saeculo potissimum XVII e bibliothecarum forulis in lucem eduxerunt viri doctissimi, atque illustrarunt. Quamobrem ad ipsas collectiones singillatim enumerandas potiusquam explanandas nunc progredimur.

§ 57.

De Collectionibus Ecclesiae Graecae.

Quandoquidem de Constitutionibus, ac Canonibus apostolicis superius sermo est institutus, iam proferamus oportet collectiones Canonum, quae diversis temporibus ac locis prodierunt. Ac primo quidem ante Concilium Chalcedonense propriam collectionem canonum orientali Ecclesiae fuisse ex ipsius Concilii actis certum exploratumque est. Namque act. 4 haec habentur: « S. Synodus dixit: Sacri Canones legantur, et commentariis inserantur: sumptoque libro, Actius Archidiaconus, et Primicerius magnae Ecclesiae legit Canonem 83: « Si quis Episcopus etc. » Item alium Canonem 84: « Si quis Presbyter, aut Diaconus etc. » Similiter act. 11 gloriosissimi iudices dixerunt: « Canones relegantur: » Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiae e Codice relegit regulam 95: « Si quis Episcopus etc. » Idem ex eodem Codice legit regulam 96: « Si quis Episcopus etc. » Porro autem series illa numerorum, sub qua Canones distincti et laudati sunt, perspicue demonstrat, unam certam eo tempore fuisse collectionem Canonum; idque mirifice confirmatur ex illis verbis « — sumptoque libro legit Canonem — e Codice relegit — e Codice legit — » quibus peculiaris liber designatur. Quo autem auctore et tempore Codex ille prodierit, incertum est. Vide Devoti Inst. Iur. can. proleg. c. 5, § 54, et Fimiani in Iure can. t. 1, p. 67 edit. neapolit. an. 1777. Haec autem collectio Canones 166 complecteba-

tur, hoc ordine et numero digestos, videlicet 20 ex Synodo Nicaena, 25 ex Ancyrana, 14 ex Neocaesariensi, 20 ex Gangrensi, 25 ex Antiochena, et 29 ex Laodicena, et denique 3 ex Constantinopolitana, quod didicimus ex Dionysio Exiguo, qui eam ipsam Patrum Chalcedonensium collectionem latine interpretatus est, et in suam collectionem transtulit: et quanquam Dionysius eorumdem Canonum numerum unitate minuat, id tamen factum est, quod Ancyranos Canones quartum et quintum in unum tantum numerum congessit.

Huic collectioni Canones Apostolorum, sardicenses, ephesinos, chalcedonenses, et denique octo et sexaginta ex epistolis S. Basilii eductos adiecit Ioannes, ex ordine advocatorum, qui tunc temporis vocabantur σχολαστικοί, unde dictus Scholasticus, suamque Canonum collectionem adornavit, non temporum, aut numerorum serie retenta, sed cunctis per materias in quinquaginta titulis distributis; agens primo de Episcopis, postea de Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, ac reliquis inferioribus Clericis, postmodum de Monachis, et postremo de Laicis. Paulo post idem ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus leges plures, praesertim ex Iustiniani Codice depromptas, servato eodem ordine rerum, collectioni suae adiecit, unde extitit prima origo *Nomocanonum*, id est collectionum, in quibus Canones ecclesiastici cum legibus imperialibus coniunguntur. Vide Zacharia Hist. Iur. Graeco-Romani delineatio.

At seculo septimo nova, ingensque Canonum congeries nata est, cum Trullana Synodus, praeter 102 Canones ab se constitutos, multa alia Synodorum, Patrumque decreta comprobaverit. Quibus

omnibus Photius, qui graeci schismatis vel auctor, vel pars magna fuit, adiecit Canones Concilii Nicaeni II, itemque Canones in duobus conciliabulis, ipso duce, constitutos, suumque Nomocanonem concinnavit, qui apud graecos semper habitus est in summo honore et pretio. Vide Maium Cardinalem op. « Spicilegium » t. 7, p. 77, et « Collect. nova Script. vet. » t. 1, p. 193, et p. 362. De minoribus graecorum collectionibus nihil expedit sermonem instituere. Unum illud monendum est, collectiones Ioannis Scholastici, et Photii non esse omni suspicione et vitio vacuas; uterque enim in Sedem Constantinopolitanae Ecclesiae invasit, uterque schismati favet, et ad captandam Imperatorum gratiam non tam Ecclesiae regulis, quam legibus imperialibus ecclesiasticam disciplinam communivit. Ad haec in primis Photius praeter Trullanos Canones, quorum plures Ecclesia improbavit, alios congessit Canones, qui fuerunt ad promovendum schisma constituti.

Vide Card. Pitra « Des canons et des collections canoniques de l'Eglise Grecque » Paris 1855, et Iuris Eccl. Graecorum historia ex monumentis, Romae 1864.

§ 58.

De Collectionibus Latinis.

Sexto incunte saeculo Dionysius, cognomento exiguus, doctrina et pietate maximus, collectioni Canonum in usum latinae Ecclesiae operam dedit. In ea enim 50 Canones Apostolorum, tum Canones e graeco Codice, quo Patres Concilii Chalcedonensis usi sunt, descriptos, et elegantius latine

redditos; tum Canones ipsius Concilii Chalcedonensis, omisso ultimo de aequalibus privilegiis Episcoporum Romani et Constantinopolitani a Latinis nunquam recepto; tum etiam Sardicenses, et denique ex Latinis 130 Canones Africanos, partim ex Concilio Carthaginiensi, quod anno 419 celebratum est, partim in veteribus Africanis Synodis conditos, vel confirmatos congessit. Hanc novam et accuratiorem Canonum collectionem, hortante Stephano Episcopo Salonitano, Dionysius aggressus est, propterea quod graecorum Canonum latina versio (latina inquam versio, non Latinae Ecclesiae Codex, seu Canonum Latinae Ecclesiae collectio) obscuritate et confusione laboraret. Simillimum vero est, priscam graecorum Canonum latinam versionem eam esse, quae ab Henrico Iustello, et Guillelmo Voello in Bibliotheca Iuris canonici vulgata est; eam tamen diligentius recognitam, et emendatam Fratres Ballerini in appendice ad opera S. Leonis Magni ediderunt. Deinde vero Dionysius Romanorum Pontificum Decretales a Siricio usque ad Anastasium II addidit; quare Codex iste Dionysianus duabus partibus constat, quarum altera Conciliorum canones, altera vero Pontificum Decretales complectitur. Huiusmodi collectio privata auctoritate confecta est, sed tamen ab Ecclesia Romana recepta probataque fuit, cum praesertim Adrianus I collectionem ipsam monumentis quibusdam auctam Carolo Magno Romae versanti dono dederit. « Neque enim fit verisimile, ut observat Ioannes Baptista Bartoli Iur. can. Instit., cap. 47, Pontificem Summum Canonum Codicem, quem non ipse omnino probaret, per Gallias aliasque regiones divulgari voluisse. »

An vero Latinae Ecclesiae Codex aliquis ante Dionysianam collectionem extiterit; quis eius auctor; quosnam Canones complexus fuerit; num adhuc supersit; res parum explorata est. Id unum probabile est, aliquem Codicem in Romana Ecclesia extitisse, tum quia in Concilio Chalcedonensi ad unum Codicem Legati Pontificis, ad alium Graeci provocaverunt, quod manifesto argumento est, utrique Ecclesiae suum Codicem fuisse, tum quia Siricius Pontifex in ep. ad Imerium Episcopum Tarraconensem « Statuta, inquit, Sedis Apostolicae, vel Canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum. » Quod frustra Pontifex iussisset, nisi Codex in promptu fuisset, ex quo Sacerdotes sacrorum Canonum notitiam haurire potuissent. Nec illud obstare videtur, quod Innocentius I in ep. ad Theophilum conscripserit: « Alium enim canonem (praeter Nicaenos) Romana non admittit Ecclesia; » et in ep. ad Clerum Constantinopolitanum: « Quod ad Canonum observationes attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicaeae definiti sunt, quos solos sectari et agnoscere debet Ecclesia Catholica. » His enim verbis significare tantum voluit, Canones omnes reiiciendos esse, qui Nicaenis adversarentur, quemadmodum ipsemet Innocentius sententiam suam declaravit, ita subdens: « Si autem alii proferantur, qui a Nicaenis Canonibus dissentiant, ii ab Episcopis catholicis reiiciantur. »

Christophorus Iustellus Codicem edidit sub hoc titulo: « Codex Canonum Ecclesiae universae; » et illum esse iactavit, quo Concilium Chalcedonense usum est, quique ante Concilium ipsum non solum in Occidentali Ecclesia, verum etiam in O-

rientali auctoritatem obtinebat. Quesnellus in appendice operum S. Leonis Magni alium Codicem protulit, quo Romanam Ecclesiam ante Dionysium Exiguum usam esse contendit. Sed utrique Codici nec auctoritas, nec fides ulla ab eruditis tributa est. De his omnibus fuse tractarunt fratres Ballerini de antiquis collectionibus Canonum part. I, cap. 1, n. 7, et seqq. Coustantius in praef. ad ep. Rom. Pont., et Ioannes Bartoli Iur. can. Instit., cap. 46.

Non erit abs re commemorare, eumdem Christophorum Iustellum edidisse Codicem, cui titulus « Codex Canonum Ecclesiae Africanae » in quo, ut ait Coustantius cit. loco, « nil praestat minus, quam quod pollicetur. Crederes enim in eo contineri Canones prorsus omnes, quos habuere in usu Africani Patres. Alios vero nullos exhibet, nisi quos Carthaginiensis Synodus anno 419, vel ipsa condidit, vel a superioribus Conciliis intra Aurelii Episcopi Carthaginiensis tempora condita recitari sibi iussit. Atque hos Canones ne ad eum quidem repraesentat modum, quo memoratae Synodi actis inserti erant, sed quo Dionysius Exiguus collectioni suae inserendos duxit. Verbo dicam, purum putumque est Dionysianae collectionis segmentum. » Collectioni Dionysii Exigui additamenta facta sunt tum in priori, tum in posteriori parte per studiosum quempiam hominem adhuc ignotum, non vero per ipsum Pontificem Hadrianum, quamvis ea collectio sic aucta soleat *Hadriana* vocari. Passim etiam vocata est *Codex Canonum;* quam rem docte illustrat Petrus Coustantius in dicta praef. num 131.

§ 59.

De Collectione Isidori Mercatoris.

Collectio Canonum, quae Isidori Mercatoris, vel Peccatoris vulgo dicitur, ineunte seculo IX prodiit. Hinschius op. « Decretales pseudo-isidorianae, » Lipsiae an. 1863, pro certo tenet « neque Romae, neque in Italia eas esse confictas. Imo sententia, ait ipse, cui viri docti hodie, nullo fere excepto, adhaerent, in Francia Decretales originem sumpsisse, comprobanda est. » Haec autem collectio post praefationem exhibet ordinem celebrandi Concilii, dein 50 priores Canones Apostolorum, tum epistolas priorum Pontificum a S. Clemente usque ad Silvestrum, mox decreta Nicaeni, et aliorum Conciliorum sive graecorum, sive latinorum in certas classes distributa, postremo reliquas Summorum Pontificum Decretales epistolas usque ad S. Gregorium Magnum.

Quis fuerit Isidorus iste Peccator, sive Mercator adhuc notum non est. Clar. Denzinger op. « Egloge et epicrisis eorum, quae a recentioribus criticis de pseudo-isidorianis decretalibus statuta sunt » in ea est sententia, ut putet Isidorum fuisse Benedictum Levitam clericum moguntinum, qui eodem saeculo falsa capitularia conscripsit. Illud vero certum, Isidorianam collectionem tantum auctoritatis apud omnes consequutam esse, quanta veris sincerisque Canonibus, et Decretalibus deberetur; neque solum in totam Occidentalem Ecclesiam, sed in Orientalem quoque penetravit: quandoquidem Nicephorus Hist. Eccl. lib.

4, cap. 59 litteras Antheri et Callixti memorat, licet per errorem pro Callixto nominet Caelestinum. Hinc Theologi omnes, et Canonistae, et Concilia ipsa Decretalibus, aliisque documentis Isidorianae collectionis usa sunt, ut fateri quisque debeat, per annos fere septingentos, aut non multo secus, neminem unum inventum esse, qui eadem monumenta supposita, et ementita suspicaretur. At primus omnium, qui tranquillam Isidori possessionem turbavit, Cardinalis Cusanus fuit in Concordantia Catholica lib. III, cap. 2. Vixit autem Cusanus medio fere saeculo XV; quamobrem Centuriatores Magdeburgenses, qui sexto decimo saeculo scripserunt, neutiquam gloriari possunt, eius collectionis imposturam se primos omnium detexisse. Tum a permultis catholicis, aliisque viris eruditis diligentius in eam collectionem inquisitum est, et argumenta ad probandam suppositionem adeo firma allata sunt, ut nemo iam de fallacia Isidori ambigere iure possit. Praecipua argumenta sunt: 1° Scriptorum veterum silentium; nam Isidorianae collectionis monumentorum, et potissimum Decretalium epistolarum, quae partim ad fideles omnes, partim ad omnes Germaniae, Italiae, Galliae, aliarumque Ecclesiarum Episcopos inscriptae sunt, non meminerunt octo priora Oecumenica Concilia, non veteres Patres et Scriptores, non Dionysius Exiguus diligentissimus collector, non denique caeteri, quorum intererat in controversiis exortis eas litteras producere, si extitissent. 2° Plura Scripturarum loca in Decretalibus trium priorum saeculorum leguntur ex versione S. Hieronymi, quae nondum edita erat. Similiter S. Isidoro Hispalensi Episcopo tribuitur

collectio ex Toletanis Conciliis octo, a quinto ad decimum tertium, et ex Concilio Bracarensi adornata, quae post ipsius mortem celebrata fuerunt. 3° Conficta nomina Archiflaminum, priorum Flaminum; voces Primatuum, Archiepiscoporum, Apocrysariorum, quae ab aetate et usu veterum Pontificum alienae sunt. Contra vero de persecutionibus, de consolatione martyrum, de rebus, et statu eorum temporum omnino siletur. 4° Falsae consulares notae eisdem epistolis affixae, quae Consules referunt, qui in consularibus fastis nunquam fuere, aut non ea certe aetate, quae cum aetate earumdem epistolarum concordet. 5° Denique sermo rudis, et barbarus a priorum saeculorum nitore prorsus alienus, et idem semper stylus, idem orationis numerus, et eadem verborum dispositio in tot epistolis, quae ab auctoribus diversae plane indolis, aetatis ac morum conscriptae fuisse dicuntur.

Vide Walter op. « Lehrbuch des Kirchenrechts aller christlichen Confessionen. Bonn. 1856. »

Non omnia tamen suae collectionis monumenta Isidorus confixit ingenio suo, sed quatuor monumentorum generibus usus est: 1° *genuinis atque sinceris*, quales sunt Decretales epistolae ex Dionysiano Codice desumptae; 2° *suppositiliis*, quae ipse fabricatus est, ut sunt epistolae fere omnes Summorum Pontificum a S. Clemente usque ad Siricium, multae etiam a Siricio usque ad S. Gregorium Magnum, tum gesta Romanae Synodi sub Iulio I, acta quoque Romanorum Synodorum quintae et sextae sub Symmacho; 3° *apocryphis*, quae ab aliis ante Isidorum procusa ipse tamen in suam collectionem retulit, uti epitomen

Concilii Rom. II sub S. Silvestro, quod Silvestri *Constitutum* appellant: 4° *interpolatis*, quae videlicet suis additamentis corrupit. Nam si quae monumenta in genuinis suis fontibus breviora sunt, apud Mercatorem vero auctiora; ideo quidquid additamenti accessit, id eiusdem Mercatoris opera suppositum affirmare licebit. Ita adiectitia sunt duo postrema capita epistolae Vigilii Papae ad Profuturum, quae ob mendosam lectionem ad Euterium inscribitur; siquidem ea duo capita a sinceris Hispanicae collectionis Codicibus absunt, et apud Mercatorem reperiuntur. Legendi Fratres Ballerini de antiquis collectionibus Canonum part. 3, cap. 6, § 3, ubi omnia Isidoriani Codicis documenta tum sincera, tum spuria, tum interpolata eruditissime diligenterque discreverunt. Iacobus autem Merlinus Parisiis an. 1523. Isidorianam collectionem, cui tamen multa additamenta facta fuerant, typis evulgavit, quae editio sequentibus collectionibus Conciliorum inserta est.

Vide Marchetti « Saggio storico sopra la Storia di Fleury » Roma 1781, Aug. Theiner de Pseudo-Isidori. can. collect. Wrat. 1827, Kunst, de fontibus et Const. Pseudo-Isid. Goff. 1832, et Wasserschleben Decret. Pseudo-Isid. Wrat. 1842.

§ 60.

De rebus notandis in Collectione Isidori.

De hac collectione generatim animadvertimus: 1° nihil prorsus in ea contra fidem bonosque mores contineri; secus enim ab universa Ecclesia septem fere saeculis recepta, usuque probata non fuisset; 2° insciis Romanis Pontificibus, falsas De-

cretales, et alia monumenta fuisse confecta. Nam Leo IV, qui anno 847 ad Petri Cathedram evectus est, ad Britanniae Episcopos rescribens, non alias Decretales et Canones agnovit praeter eos, qui apud Dionysium Exiguum exstabant (can. 1 dist. 20), Nicolaus I non novit hanc collectionem, ut observat Thiel Comment. de Nicolao I Brunsburg 1859, quod manifestum indicium est, adulterina Isidori monumenta Romae cognita non fuisse, aut saltem non recepta usque ad saeculum IX, postquam nempe omne dubium longo temporis tractu, obmutuit, ut idem Denzinger cit. op. animadvertit; 3° privilegia Summi Pontificis illa collectione, veluti fundamento, non inniti, quod summa iniuria recentiores haeretici dixerunt. Etenim Pontificis iura non tali auxilio indigebant, cum a Deo ipso collata sint. Praecipuus autem Mercatoris scopus duplex fuit, alter Episcoporum indemnitati consulendi, alter stabiliendi Primates, quos Patriarchis exaequat; quae duo fuse et erudite demonstrat Carolus Blaschus in suo Commentario de collectione Canonum Isidori Mercatoris; 4° Vanas et iniustas esse eorum querelas, qui per collectionem Isidori sublatam putant antiquam Ecclesiae disciplinam, et insuetam planeque novam introductam. Nam pleraque Isidori monumenta ex Canonibus Conciliorum, ex Romanorum Pontificum sinceris Constitutionibus, ex sententiis Sanctorum Patrum excerpta sunt. Caetera vero eam plerumque disciplinam exhibent, quae iam obtinuerat. Praeterea, ut Ballerini Fratres citato opere animadvertunt, « stultus plane fuisset impostor, si sperasset suam collectionem acceptum iri ab hominibus, quae novam omnino

disciplinam a sui quoque saeculi moribus et consuetudinibus abhorrentem contineret. Quod si quaecunque contra consuetudinem ingeruntur, etiamsi bona et utilia sint, ipsa novitate perturbare solent; multo magis de iis timendum erat, quibus disciplinam per se optimam, et sanctioribus fultam legibus, longoque usu ab hominibus receptam quispiam evertere et immutare contenderet. Nulli autem tumultus, clamores nulli auditi sunt ob inductas Decretales apocryphas, nisi in ea parte, quae ad Episcoporum causas et iudicia pertinet: de quibus aliqua apud Hincmarum leguntur, et in epistolis Nicolai I. At in his ipsis causis atque iudiciis, quod in pseudo-epistolis ac Synodis Isidorianis traditur, non erat omnino novum; « 5° denique disciplinam, quae ab Isidoriana collectione praeferebatur, auctoritatem ecclesiasticae legis obtinuisse, non in vim eiusdem collectionis, quae privata auctoritate confecta est, et plerisque monumentis partim confictis, partim interpolatis constat, sed in vim tum praecedentium, tum subsequentium Constitutionum ecclesiasticarum, quibus eadem disciplina inducta et confirmata est, tum etiam in vim consuetudinis, quae in rebus disciplinaribus multum valet. Totam hanc rem concludam verbis Petri Ballerini in Vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Iustini Febronii, cap. 5: « Neque causetur ignorantia falsarum Decretalium, quae omnes diutius occupabat; nam praeterquamquod fere omnia, quae Pseudo-Isidoro tribuuntur, anteriorem, ut indicavimus, habent originem, nonne in materia disciplinae ius novum, etiamsi quibusdam in capitibus errore aliquo inductum ac propagatum, cum legitima po-

testate proprio iure receptum et approbatum est, non ex ignorantia, sed ex auctoritate approbantium, nec non ex ipsa consuetudine legitima praescribente vim legis acquireret, dum nihil contra divinum, aut naturale ius receptum aut approbatum sit? »

Doctissimi Fratres Ballerini, editioni Operum S. Leonis Magni integro volumine adiecto, recensendis illustrandisque veteribus ad Gratianum usque collectionibus dederunt operam, eamque provinciam magno studio et eruditione obierunt. Ea igitur, quae ad veteres canonum collectiones, earumque Collectores pertinent, ibidem bene digesta explicataque continentur. Vide etiam Theiner op. « Disquisitiones in Canonum collectiones. » Romae 1836.

§ 61.

De Gratiani Decreto.

Sunt et aliae collectiones Canonum, veluti « Collectio S. Martini Episcopi Bracarensis, Breviarium et collectio Cresconii, collectio Reginonis, volumen decretorum Burchardi Wormatiensis, Decretum et Panormia, seu Panomia Ivonis Carnotensis, » quibus omissis, ad collectionem Gratiani properamus. Itaque Gratianus monachus benedictinus circa annum 1151 celeberrimam collectionem omnium ditissimam evulgavit, in qua, certis propositis quaestionibus, Canones aliaque monumenta, quae inter se dissidere videbantur, in concordiam studuit revocare. Hinc eius collectio « Concordia discordantium Canonum vocata » est, quamvis vulgo « Decretum Gratiani » dici soleat. Totum opus in tres partes dividitur, quarum prima distinctionibus constat centum et

una, et quaelibet distinctio plures Canones, seu capita complectitur, quamobrem Canones huius partis allegantur tribus modis, vel expresso numero Canonis, ex. gr. Can. 5, *dist.* 61, hoc est Canone quinto, distinctione sexagesima prima, vel expresso primo eiusdem canonis vocabulo, ex. gr. Can. Miramur. *dist.* 61, hoc est Canone, cuius initium Miramur, distinctione sexagesima prima; vel denique expresso tum numero Canonis, tum prima eiusdem voce, ex. gr. *can.* Miramur 5, *dist.* 61, videlicet Canone Miramur quinto, distinctione sexagesima prima.

In prioribus viginti distinctionibus de origine, auctoritate, variisque speciebus, ac principiis Iuris ecclesiastici; in reliquis distinctionibus de Clericis, eorumque statibus et officiis agitur.

In secunda Decreti parte (quae in causas 36, et unaquaeque causa in plures quaestiones, quaestio autem in Canones tributa est) praecipue exponuntur, quae ad iudicia ecclesiastica pertinent. In hac parte allegantur vel priora Canonis, seu capitis verba, vel eius numerus et praeterea causa, et quaestio, uti *Can.* 2, *cau.* 8, *q.* 2, hoc est canone secundo, causa octava, quaestione secunda. In hac secunda parte, ad causam trigesimam tertiam, quaestione tertia, exstat *Tractatus de poenitentia* in distinctiones septem divisus; quare huius distinctionis Canones citantur, aut expresso numero, aut voce initiali Canonis, et numero distinctionis de poenitentia, ex. gr. *Can.* Lacrymae 2, *dist.* 1 *de poenit.*

Tertiae autem partis eadem est, quae primae divisio in distinctiones et Canones, in eaque de rebus et ritibus sacris tractatur, quam ob cau-

sam *de consecratione* inscripta est. Citantur itaque Canones per priora ipsorum verba, vel numerum, addito numero distinctionis, quemadmodum Canones primae partis; sed ut Canones utriusque partis discernantur, locis ex tertia parte laudatis addi solet *de consecratione*, siculi *Can.* 1, *dist.* 1 *de consecrat.* Haec partitio Decreti in tres praecipuas partes de personis, de iudiciis, de rebus ecclesiasticis apta et ordinata foret ; sed tamen materia proposita saepius et sine causa interrumpitur; ideoque Antonius Augustinus affirmare non dubitavit: « Si apud Gratianum artem requiras, et ordinem docendi, frustra laboraveris. » Nec solum ordo, seu filum orationis in Gratiani opere desideratur, sed, quod magis est, multis erroribus scatet, quorum praecipua genera expressit Antonius Augustinus lib. 1, dialog. 1 de emend. Gratian. « Saepe, inquit, erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, et aliarum rerum. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur, et quae sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam exstant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quae inscriptiones veras habent, non recte referuntur. »

§ 62.

De emendatione Gratiani.

Itaque plures viri docti ad detegendos Gratiani errores, atque emendandos animum adiecerunt. In primis Contius capita, sive Canones numeris distinxit: « Ante Contianam enim editionem certum est, ait Antonius Augustinus cit. lib. dialog. 18, capitum numeris nullum Gratiani volumen fuisse distinctum. » Multas praeterea notas addidit, quibus falsae inscriptiones a veris, et sincera monumenta ab apocryphis secernerentur. At Pontifices ipsi Pius IV, Pius V, et Gregorius XIII novam et castigatiorem Gratiani emendationem aggressi sunt, eamque provinciam selectis quibusdam viris, quos Correctores Romanos vocant, demandarunt. Iam vero Correctores Romani, conquisitis undique praesidiis, permulta in Canonum inscriptionibus, et in textu, et in glossis emendarunt. Primum itaque veras inscriptiones, seu auctorum citationes, ubi error evidens erat, restituerunt; ubi autem de vero Canonis auctore dubitatio orta est, quod idem caput apud plures auctores inventum fuit, aut aliqua capitis pars comperta est eius auctoris qui citabatur, aliqua vero minime, aut verba valde mutata, subiectis notis indicarunt, et in margine ea loca descripserunt, ubi eadem capita haberentur. Circa emendationem textus haec ratio reservata est, ut initia capitum ob usitatas Doctorum citationes non mutarentur, quandoquidem ante Contium, ut supra monui, Canones, seu capita numeris distincta non erant, adeoque per

verba initialia citabantur. Verumtamen a Correctoribus, ubi initia capitum ab originali discreparent, in margine, aut in notationibus germana lectio indicata est. Hanc quoque glossae ipsius rationem habuerunt, nihil ut in textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura erat, quominus quid sibi auctor glossae voluisset, animadverti posset, sed eodem modo aut in margine, aut in notatione mendum est indicatum. Ubi vero haec non obstabant, nonnulla in ipso textu emendarunt, nonnulla etiam aliquando addiderunt, et aliquando detraxerunt, earumque mutationum in subiectis notis identidem rationem attulerunt; saepe tamen in genere monuerunt aliquid emendatum esse, et aliquando mutationum mentionem nullàm fecerunt. Denique quod ad glossas pertinet, quae in illis errata paulo maioris ponderis obrepserunt, ea in margine notarunt, et quid catholice sentiendum esset, ostenderunt. Haec autem Romana Correctio, qua par erat diligentia et studio, peracta est; sed tamen in opere vastae adeo molis, et humanam pene effugientis diligentiam, mirum non est, si novi errores, tractu temporis, detecti sint, quod Correctores ipsi non viderant; namque in praefatione Decreti professi sunt, non in totum, sed *magnam iam in partem suum unicuique tributum esse.* Hinc Gregorius XIII quanquam iure caverit, ne quisque pro libidine sua Decretum, tanta maturitate diligentiaque emendatum, iterum emendare, ac typis subiicere praesumeret, permisit tamen, ut viri eruditi in expendendis Gratiani monumentis operam suam collocarent.

De mendis Gratiani vide Antonium Augustinum *de emendatione Gratiani,* cum notis Steph. Baluzii et Gerardi von Mastrichii,

Romae 1767, et Carolum Sebastianum Berardi in praestantissimo opere, quod inscribitur « Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati, Ven. 1783.

§ 63.

De auctoritate Decreti Gratiani.

Sed quaeritur, an Gratiani collectio authentica haberi queat, et proinde quidquid in ea continetur, ecclesiasticae legis vim habeat? Hac in re illud in primis tenendum est, Gratiani Decretum non publica auctoritate, sed privato ipsius Gratiani arbitrio confectum esse, ideoque nullam ex Collectore legalem auctoritatem obtinuisse. Restat igitur, ut, si quam auctoritatem habeat, eidem postmodum approbatione publica accesserit. Videndum itaque, an hoc Decretum receptum approbatumque sit? Tres invenio sententias. Prima generatim affirmat, tum quod Gratiani Decretum, cum primum prodiit, in scholis et in foro assidue susceptum et adhibitum fuit, tum quod Eugenius III, et Gregorius XIII publicam auctoritatem eidem Decreto tribuerunt. Altera sententia omnino negat, propterea quod scholarum et fori usus praestantiam Decreti commendat, nullam tamen ei auctoritatem adiungit, eo vel magis quod adulterata, spuria, aliaque mendosa capita, quibus Decretum hoc scatet, nondum comperta erant; idcirco credendum non est scholas et forum, imo vero Romanos quoque Pontifices ea voluntate Decreto usos esse, ut omnibus indiscriminatim in eo congestis vim legis ecclesiasticae tribuerent, cum nihil magis obsit consensui, quam error. Sed neque de

legali approbatione Decreti satis liquet. Nam de Eugenii III approbatione unus, et solus Trithemius testis est, sed eius testimonium a criticis plane reiicitur, propterea quod scriptores caeteri, aut Gratiani aequales, aut aetate inferiores, Eugenianae approbationis non meminerint, nec illius certum documentum ullum afferatur. Nec quisquam persuadere sibi poterit, eam approbationem, si exstitisset, non divulgatam, non ulli Gratiani exemplari praefixam, sed omnino suppressam fuisse. Vide Savigny, Historia Iur. Rom. in medio aevo t. 3, p. 477. Similiter Gregorius XIII in suis litteris declaravit, curasse se, ut Gratiani Decretum a mendis expurgatum et correctum exhiberetur, sed nullum prorsus verbum fecit, ex quo constaret, illud etiam auctoritate legali donavisse. Emendatum igitur a Gregorio XIII fuit, non approbatum, nec authenticum declaratum. Rota Romana cor. Pegna dec. 480 ait: « Nec Gregorius XIII Gratiani librum, tanquam legalem authenticavit, cum solum emendari iusserit, et mandaverit observari. » De hac sententia Benedictus XIV ita scribit de Syn. Dioec., lib. VII, cap. 15, num. 6: « Gratiani Decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim et pondus legis non habet; quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret. » Eadem repetit op. de Canoniz. SS. l. 4, p. 2, c. 17, n. 10. Fallunt itaque, vel falluntur, qui in vulgus spargunt, Pontifices omni studio curavisse, ut Decretum Gratiani, tanquam Codex authenticus ab omnibus reciperetur, ut ni-

mirum eo pacto Isidorianis Decretalibus pontificiae auctoritati faventibus pondus, et robur adiiceretur.

Tertia denique sententia tradit, Decretum integrum authenticum esse, quatenus nempe omnes Canones etiam ex spurio fonte desumpti auctoritate pollent, dummodo usu, et praxi in vim legis assumptos fuisse comperiatur. Huius sententiae patroni rei exemplum sumunt ex capite 3, caus. 3, q. 1: quanquam enim, ut aiunt, illud caput ex fonte spurio, nempe ex conficta Ioannis Pontificis epistola consarcinatum sit, ex praxi tamen et usu vim legis consequutum est. Quid tamen inde? Num si unum, aut alterum licet spurium Canonem usus recepit in legem, colligi iure poterit, alios quoque Canones indiscriminatim receptos fuisse? Relinquitur ergo, ut secunda sententia caeteris potior habenda sit.

Multa sunt Decreti capita, quae sub *Paleae* inscriptione referuntur. Aliqui putant, res levioris momenti, et antiquatas illis capitibus contineri: alii rentur aliena manu accessisse, alii alia commenti sunt: sed illud verosimilius est, *Paleas* adiectiones esse posteriori manu factas, et in margine primum descriptas, quas deinde librariorum quidam omiserunt, quidam in contextu posuerunt. Nam Romani Correctores observant, in vetustis Gratiani exemplaribus paucas admodum *Paleas*, nec omnes in omnibus, nec eodem ordine reperiri.

Vide Praefat. in edit. Corporis Iuris Can. Coloniae Munatianae 1783.

§ 64.

De aliis Decretalium Collectionibus a Gratiano ad Gregorium IX.

A Decreto Gratiani ad compilationem usque Decretalium Gregorii IX aliae Canonum collectiones prodierunt. Sunt autem quinque, inter quas prima recensetur collectio *Bernardi Circa* Papiensis Praepositi, dein Episcopi Faventini, quam anno 1199 evulgavit. Passim dicitur *Prima Decretalium Collectio*, sed eam auctor insignivit hoc titulo: « Breviarium Extravagantium » hoc est Decretorum, quae extra Gratiani opus vagabantur. At in ea collectione praeter Decreta, quae Gratiani diligentiam effugerant, Constitutiones etiam Summorum Pontificum post Gratianum editae usque ad Coelestinum III, et Canones Concilii Lateranensis III continentur. In quinque libros tributa est, et libri singuli in titulos: primus liber agit de Constitutionibus, de Rescriptis, de Iudicibus, et eorum officiis; alter de Iudiciis; tertius de vita et honestate Clericorum, rebusque ecclesiasticis; quartus de sponsalibus et matrimonio; quintus de accusationibus, deque delictis, et poenis. Itaque collectio Papiensis fuit veluti archetypus, ad cuius exemplum reliquae collectiones adornatae sunt.

Papiensem paulo post imitati sunt *Gibertus Abbas*, et *Alanus Episcopus* Antissiodorensis, qui Canones a Papiensi omissos, aliosque dein editos collegerunt. Sed utriusque collectio periit, atque ex earum ruinis novam collectionem congessit

Ioannes Calensis, seu *Valensis*, qui tum superiorum Pontificum, tum Coelestini III Constitutiones complexus est. Haec *Secunda Collectio* dicitur.

Post Coelestinum III, Innocentius III utriusque iuris, ac theologiae peritissimus, opera Bernardi Constantinopolitani, tertiam Decretalium collectionem conficiendam curavit, in qua duodecim ipsius Pontificis Decreta prioribus Pontificatus annis edita continerentur, quam deinde per *Petrum Beneventanum* correctam idem Pontifex vulgavit. Huic collectioni paulo post quarta accessit eiusdem Innocentii III auspiciis, partim quidem ex posterioribus ipsius Pontificis Decretalibus, partim vero ex Canonibus Concilii Lateranensis IV adornata. Quinta denique collectio, *Honorii III* Decretales complectitur, eiusdem Pontificis iussu concinnata, et promulgata. Quatuor priores collectiones *Antonius Augustinus*, quintam *Innocentius Cironius* typis ediderunt, notisque illustrarunt. Priores duae collectiones nullam auctoritatem publicam consequutae sunt, posterioribus tribus Pontifices ipsarum auctores vim legis tribuerunt.

§ 65.

De Collectione Gregorii IX.

Ex quinque Decretalium collectionibus, aliisque novis Constitutionibus collectionem suam Gregorius IX deduxit, quam vulgari nomine *Decretales Gregorii IX* vocamus. Ea in re Pontifex usus est opera S. Raymundi de Pennafort, viri pietate et multiplici eruditione praestantissimi. Earumdem quinque collectionum ordinem Raymundus sequu-

tus est, adeoque rem totam in libros quinque distribuit, singulisque libris eosdem fere titulos subiecit. In collocandis vero sub quolibet titulo Canonibus, rationem temporis habuit, ut primo loco ea capita exhiberet, quae ex prioribus quinque collectionibus selegit; deinde nonnulla alia, quae extra eas collectiones vagabantur, postremo loco *Decretales Gregorii IX* tanquam recentiores in suam collectionem inseruit. Duo autem, hoc loco, monenda sunt. Alterum est, collectionem hanc authenticam esse, ideoque omnia et singula generalis legis auctoritate pollere, sive a Concilio generali, vel particulari, sive a Summo Pontifice, sive a S. Patre, sive ab alio quocunque scriptore, vel fonte hausta sint. Haec enim collectio auctoritate Gregorii IX confecta et publicata est, ut merito Pontifex omnia sua fecerit, quibus suam auctoritatem impertitus est (L. 1, ff. de vet. Iur. enucl.). Alterum est, antiquis Decretalibus, quas Gregorius IX missas fecit, vim legum ecclesiasticarum detractam esse, cum Pontifex ipse eas solas Decretales in posterum vigere voluerit, quae in suam collectionem translatae fuerunt, caeteras omnes ex industria praeteriens, quae temporibus minus accommodatae visae sunt. Antiquae tamen Decretalium collectiones valde utiles, et prope necessariae sunt ad eas Decretales intelligendas, quae in Gregoriana collectione receptae sunt, propterea quod Raymundus ex potestate sibi facta inutilia et superflua resecandi, nonnulla capita adeo praecidit, et mutila nobis exhibuit, ut ea rite percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integram Decretalem perlegamus.

In allegandis capitibus Decretalium Gregorii IX,

indicantur vel prima verba capitis, ex. gr. *cap.* VENERABILEM *de elect.*, vel numerus capitis, uti *cap.* 1 *de Clericis coniug.*, vel prima verba capitis et simul numerus hoc modo, *cap.* TUA NOS 26 *de Sponsal. et Matr.* A quibusdam Canonistis addi solet vocabulum *extra*, ex. gr. *cap.* CUM PRIDEM *de Pactis extra*, ut nempe significetur caput illud extra Gratiani Decretum reperiri. Sed haec allegandi ratio in desuetudinem fere abiit.

§ 66.

De Sexto Decretalium, de Clementinis et Extravagantibus.

Post editas Gregorianas Decretales, cum novae a Romanis Pontificibus Decretales prodiissent, et Concilia duo Lugdunensia sub Innocentio IV, et Gregorio X celebrata multos canones condidissent, Bonifacius VIII, anno quarto pontificatus sui, ex iisdem Decretalibus et Canonibus novam collectionem ordinavit. Haec non secus atque Gregoriana quinque libris, et eodem titulorum ordine digesta est, et vulgo *Sextus Decretalium* vocatur, veluti quinque librorum Gregorianae collectionis appendix quaedam et complementum. Ab ipso Bonifacio publicata, et legali auctoritate munita est. Eius capita sic allegantur: *cap.* QUICUMQUE, de *Haeret. in* 6, hoc est, capite, quod incipit *Quicumque*, de haereticis in Sexto Decretalium.

Paulo post alia collectio subsequuta est, quae *Clementinarum* nomine venit, propterea quod Summus Pontifex Clemens V ex Canonibus Concilii Viennensis, cui ipse praefuit, et ex nonnullis

Constitutionibus ab se editis conficiendam curavit. In hac etiam collectione ordo Decretalium Gregorii IX servatus est. Sed Clemens morte praereptus collectionem suam edere non potuit. Eam itaque Ioannes XXII, eius successor, in publicam lucem protulit. Citantur eius capita hoc modo: *cap.* Etsi *de Rescrip. ex Clement.*, hoc est, capite *Etsi* de Rescriptis ex Clementinis; vel *Clement.* Si furiosi *de Relig. domib.*, nempe Clementina Si furiosi de Religiosis domibus.

Reliquae sunt duae aliae Decretalium collectiones, quarum altera « Extravagantium Ioannis XXII; » altera « Extravagantium Communium » appellatur. Prior viginti tantum Decretales unius Ioannis XXII; altera non unius, sed viginti quinque Pontificum Decretales ab Urbano IV (si vera inscriptio sit cap. 1 de Simon.) usque ad Sixtum IV complectitur. Prior ob exiguum Decretalium numerum unico libro, sive 14 titulis, sine librorum distinctione absolvitur, altera in quinque libros distribuitur. Utraque incertum auctorem habet, neque etiam compertum est, qua auctoritate utraque promulgata, ac in Corpus iuris Canonici relata sit. Verumtamen huiusmodi *Extravagantes*, praeterquamquod communi usu receptae fuerint, ex propria origine, videlicet a Summis Pontificibus, ex quibus singulae prodierunt, vim legalem sortitae sunt. Extravagantes Ioannis XXII sic alleguntur: «Extrav. Cum inter nonnullos Ioannis XXII de verbor. signific.: » extravagantes vero communes ita citantur: « Extrav. Rem non novam de dol. et contumac. inter commun. »

Itaque ex quinque huiusmodi collectionibus, nempe « Decretalium Gregorii IX, Sexti Decreta-

lium, Clementinarum, » et duarum « Extravagantium » Corpus Iuris Ecclesiastici conflatum est; « nam quemadmodum Ius Civile Romanorum ubique pene gentium pro iure communi habetur, ut nimirum, iure patrio consuetudinario deficiente, causae civiles, et reipublicae negotia ex illo dirigantur, et si quid in lege patria, aut consuetudine dubii occurrat, ex Iure romano dilucidationem accipiat; ita quoque causae ecclesiasticae, ac exterior Ecclesiae politia Iure canonico, tanquam Iure communi diriguntur, dirimuntur, et deciduntur, et si quid difficultatis in Iure ecclesiastico particulari, aut consuetudinario occurrat, ex illo interpretationem accipere debet, » ut inquit Van Espen in tract. hist. canon. part. 8, cap. 3, §. 1. Nam quod ad speciales locorum consuetudines et statuta pertinet, celebris est Constitutio Bonifacii VIII in cap. Licet de Constit. in 6, ibi: « Quia Romanus Pontifex locorum specialium consuetudines et statuta, cum sint facti, et in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. » Quo ex capite Bohemerus perperam colligit, Ius pontificium etjam in foris catholicorum subsidiarium esse, adeoque tum denique incipere auctoritatem et vim legis habere, cum ius patrium, vel consuetudo defuerit. Haec sententia, ut praeclare animadvertit Zallwein de Princ. Iur. Eccl. lib. II, q. 4, cap. 1, § 3 « falso innititur supposito, aut subvertit statum quaestionis. Id facile damus, quod Decretales eatenus habuerint auctoritatem et usum, quatenus non adversabantur iuribus et consuetudini-

bus particularibus, propter communem regulam, quod leges particulares derogent universalibus; sed quis inde inferre auserit, ergo Ius universale habet vim Iuris mere subsidiarii? Sane consequutio pessima, ex qua ulterius consequi necessum foret, quod nullum Ius commune et universale sustineat vices Iuris principalis, cum nulla detur respublica, nulla provincia, quae non regatur quibusdam iuribus, ac consuetudinibus particularibus. Quis haec aequo animo sustineat? Manet ergo Ius ecclesiasticum Decretalium in sua possessione, et illis, qui Ius particulare contrarium praetendunt, incumbet probatio. »

§ 67.

De Rubricis, Summariis, et Glossis.

In Corpore Iuris Canonici praeter capita, sive Canones, occurrunt etiam *Rubricae*, *Summaria*, et *Glossae*. Rubricae sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a litteris rubris, quibus olim scribebantur. Bifariam dividuntur, videlicet in *praeceptivas*, et *non praeceptivas*. Praeceptivae dicuntur, quae sensum perfectum exhibent, ex. gr. « ne Sede vacante aliquid innovetur. » Huiusmodi rubricae allegari possunt *dispositive*, sicut Canonistae loquuntur; hoc est vim legis habent, utpote quae a Legislatore profectae, vel confirmatae sunt. Contra vero rubricae Gratianei Decreti, quia vel a Gratiano, vel ab alio privato homine confectae fuerunt, auctoritate legis destituuntur. Rubricae non praeceptivae vocantur, quae perfectum sensum non habent, sive quae nihil praecipiunt, aut

vetant, ex. gr. de Constitutionibus, de Testamentis, et id genus aliae, quae idcirco tanquam leges haberi non possunt, quia nihil certi praefiniunt. Attamen allegari possunt *declarative*, quatenus declarando Canoni omnino valent, si verba eiusdem Canonis ambigua sint. Sic Glossa in cap. Cum Monasterium, ad haec Canonis verba « Postulationi eorum praebuisti assensum » infert eo in casu non meram postulationem, sed electionem celebratam fuisse, propterea quod Canon sub rubrica *de electione*, et non de *postulatione* recensetur.

Summaria sunt breves illae periodi, quibus canones sub titulis, seu rubricis inclusi summatim exponuntur, eorumque sententiae sub uno veluti aspectu ponuntur. Haec Summaria maximo in pretio habenda sunt, et Canonibus interpretandis valde prosunt. Attamen legis vi carent, quod a privatis scriptoribus adiecta sint.

Glossarum nomine intelligimus illas Canonum interpretationes, seu commentaria, quibus aut sententiae, aut verba Canonum exponuntur. In Corpore ipsius Iuris ad marginem textus collocantur, sed privatorum opera exaratae sunt, nec unquam pro lege approbatae; quamobrem tanquam privatae interpretum explanationes habendae sunt.

§ 68.

De Iure novissimo.

Ius novissimum vocamus regulas omnes ecclesiasticas, quae post recensitas adhuc collectiones a legitima potestate constitutae sunt. Praemonen-

dum est, in Corpore Iuris canonici neque ullas Pontificum Constitutiones post Sixtum IV inveniri, neque etiam ullos Canones Conciliorum, sive provincialium a Gregorio IX ad nostram usque aetatem, sive generalium post Viennense celebratorum eodem Corpore Iuris contineri. Igitur Ius novissimum conficitur 1° ex Canonibus Conciliorum, qui in Corpore Iuris communis non exstant; 2° ex Constitutionibus Summorum Pontificum post Sixtum IV editis; 3° ex Regulis Cancellariae. His nonnulli Canonistae addunt *Concordata*, seu pacta inter Apostolicam Sedem, et varias nationes conventa.

Iam vero « Canones Conciliorum et Decretalium Pontificum, » quae post Sixtum IV prodierunt, in novam collectionem cogere primus omnium Gregorius XIII meditatus est; sed, nondum opere absoluto, supremum diem obivit. Tum Sixtus V in idem opus incubuit, sed, eo quoque mortuo, opus sub Clemente VIII confectum, et typis editum est sub titulo « Liber septimus Decretalium Clementis VIII », quasi post Sextum Decretalium Bonifacii VIII subiiciendus. Verumtamen obortis difficultatibus, quas late commemorat Fagnanus in cap. CUM VENISSENT de iudic., « suppressa fuit, ut ipsius Fagnani verbis utamur, huius voluminis publicatio miris elucubrata laboribus et vigiliis, et Praesulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiae vocibus efflagitata. »

Eodem ferme tempore Petrus Matthaeus Iurisconsultus Lugdunensis ex Decretalibus a Sixto IV ad Sixtum V editis novam collectionem privato studio composuit, quam anno 1590 evulgavit. Hoc opus in aliquibus Corporis Iuris editionibus post

Extravagantes communes adiectum est sub titulo « Liber septimus Decretalium Constitutionum Apostolicarum adiectus ad plenam et perfectam Iuris Apostolici cognitionem. » Sed huiusmodi Codex publica auctoritate caret. In eo quoque vitia non desunt, et multa utilia desiderantur.

Sub eodem Sixto V Laërtius Cherubinus ad colligendas *Pontificum Constitutiones* sua studia contulit, et quotquot invenire potuit extra Corpus Iuris vagantes a S. Leone Magno ad ipsum Sixtum V, servato temporis ordine, in unum volumen redegit, quod *Bullarium* appellavit. Opus deinde suum novis adhibitis curis multum auxit, sed non perfecit. Hinc eius filius Angelus Maria Cherubinus plures alias Constitutiones adiecit usque ad Innocentium X, et Bullarium magnum quatuor voluminibus compactum typis romanis edidit anno 1638. Huic deinde quintum volumen accessit, quo Angelus a Lantusca et Paulus a Roma Constitutiones Urbani VIII, et posteriorum Pontificum usque ad Clementem X complexi sunt. Adest collectio edita Luxemburgi sumptibus Andreae Chevalier, octo constans voluminibus, cuius titulus « Magnum Bullarium Romanum a B. Leone usque ad S. D. N. Benedictum XIII, » opus iterum editum anno 1742. Huic editioni, supplementi loco accesserunt quinque volumina, in quibus plures Summorum Pontificum Constitutiones continentur, et titulus est: « Magnum Bullarium Romanum, seu eiusdem continuatio, quae supplementi loco est, tam huicce, tam aliis, quae praecesserunt, Romanae et Lugdunensi. » Sed omnium amplissimum et praestantissimum est Bullarium Magnum Hieronymi Mainardi sumptibus editum

Romae, et in quatuordecim tomos distributum, cuius auctor est Cellinus. In eo Constitutiones Summorum Pontificum a Leone Magno ad Clementem XII continentur. Constitutiones etiam Benedicti XIV tomis quatuor comprehensae in publicam lucem prodierunt. Posteriorum Pontificum Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII, Pii VIII et Gregorii XVI Constitutiones, litteras in forma Brevis, epistolas ad primarios viros, atque allocutiones, habita temporum ratione, collegit Andreas Adv. Barberi, additis summariis, adnotationibus, indicibus, opera et studio Raynaldi Segreti I. C. Romae 1843-1855, Pii IX acta quinque voluminibus continentur, Romae ex typographia bonarum artium an. 1854, 1858 et 1866. Prodit nunc nova Bullarii editio, seu « Diplomatum ac privilegiorum omnium SS. PP. R. Sacerdotis Mauritii Marocco C. Th. Doctoris nuperrima recensio, Pontificum omnium vitis, notis, indicibusque opportunis ornata, Henrici Dalmazzo cura, studioque perdiligenter edita, mendisque omnibus expurgata, et Pii IX Pontificis Maximi benedictione insignita » Augustae Taurinorum typis Fory 1857. Reliquas Bullarum Constitutiones pro singulis Ordinibus regularibus vide penes Permaneder op. Handbuch des Kirchenrechts anno 1846, t. 1, § 175.

Hae vero Bullarum collectiones privatorum hominum opera confectae sunt. Similiter in Conciliorum actis et canonibus colligendis operam tum laboriosam, tum utilem plures viri docti contulerunt. Atque alii quidem unius nationis, aut provinciae Concilia, alii vero omnia ubivis gentium celebrata collegerunt. Omnium autem praestantis-

sima est Conciliorum collectio, 30 vol. in-folio, curante *Nicolao Colleti* Venetiis edita, cuius supplementum dedit *Dominicus Mansi* Lucae anno 1748. Adest etiam regia 37 vol., Labbaei 18 vol., et Harduini 10 vol. constans collectio.

Regulae Cancellariae sunt leges quaedam , seu regulae num. 72, quibus Cancellariae Apostolicae negotia expediuntur. Hae vero a caeteris differunt, quod morte cuiusque Pontificis vim suam amittunt, donec a novo Pontifice confirmentur , quod semper fit. Unde fit ut, sede vacante, Episcopi, tanquam ordinarii collatores , beneficia in regulis cancellariae reservata , libere concedant. De his praecipue sermo est in tractatu de *Beneficiis*. Primus harum regularum glossator fuit Alphonsus Soto, et post eum Gomez, Rebuffo, Molinaeus, et praecipue Riganti praeclarissimo opere posthumo « Commentaria in Regulas, Constitutiones, Ordinat. Cancell. Apost. » Romae 1744. Huiusmodi regulae in omnibus regionibus vim suam exserunt, dummodo lege contraria, concordato, ac legitima consuetudine eisdem derogatum non sit.

Ad *Concordata* quod attinet , Apostolica Sedes, causa tuendae pacis, unionisque firmandae, cum multis nationibus etiam acatholicis concordata de negotiis ecclesiasticis inivit. Inter antiquiora pacta conventa tria sunt celebriora. Primum illud est, vulgo dictum Wormatiense, inter Calixtum II et Henricum V an. 1122 in Comitiis Wormatiensibus initum, in Bambergensi conventu firmatum, et in Concilio Lateranensi ad finiendas de investituris controversias solemniter publicatum. Secundum de causis beneficialibus et de episcoporum per canonicos electionibus inter Eugenium Papam et Nicolaum V

in conventu Aschaffenburgensi an. 1448 conclusum fuit. Tertium tandem Leo X et Franciscus I an. 1516 iniverunt, ut electionibus Praelatorum labe simoniaca infectis, aliisque cupiditatibus inquinatis modus in posterum poneretur. Inter recentiora tria pariter notatu digna sunt: Primum est illud inter Pium VII et Napoleonem I die 15 iunii an. 1801 signatum et sequenti die 10 septembris ratificatum, de quo vide opus « Mémoires du Card. Consalvi, Paris 1864. » Alterum ab eodem Pio VII cum Ludovico XVIII an. 1817 initum fuit, vi cuius, abrogato pacto an. 1801, restituebatur illud anno 1516 confectum. Tertium est concordatum inter Pium IX et Iosephum Austriae Imperatorem die 18 augusti 1854 conclusum. Describi satis nequit, quibus armis concordata insectati sunt Punctatores Emsani, De Pradt op. des Concordats, Lanjuinais de Concord. 1827, Münch in collect. Concord. 1830, Brandel, Carové, Müller, et hodierni doctores ac politici. Alii enim ea insectati sunt vehementer, tanquam excogitata ad Principum iura impetenda, ad Episcoporum auctoritatem evertendam, et ad Romanorum Pontificum explendam cupiditatem, qua ardent, ubique terrarum ac gentium dominandi; quae quidem ex magno ac pervicacissimo in Sedem Apostolicam odio profecta esse, quisque sanus intelligit. Alii vero concordata impetunt, utpote ipsis Ecclesiae principiis e diametro opposita. Alii autem aequi iustique legibus adversa, ecclesiasticae disciplinae contraria, iurique gentium aperte opposita deblaterant. Alii tandem civilis ac politici iuris communis systema in medium proferentes, quo posito plena ac integra in rebus spiritualibus libertas Ecclesiae sarta tecta

manet, eodem modo, quo plena ac integra in rebus temporalibus civili Gubernio tribuitur, in eo toti sunt, ut affirment libertatem religiosam per libertatem publicam ac generalem satius tutam esse, quam per concordata. Non desunt tandem quidam catholici, qui (utrum vero, an simulato in Ecclesiam studio, Deus scit), improbant Concordata prorsus omnia, propterea quod existimant in Concordatis faciendis aliquod semper vulnus hierarchiae Ecclesiasticae divinitus constitutae inferri, perinde ac si Ecclesia de divinis rebus transigere nunquam consuevisset. Hac de re vide Exhort. Leonis XII ad Gallos dissidentes, praesertim Dioecesis Pictaviensis, qui vulgo anticoncordatistae appellantur, 2 Iulii an. 1826, et opusculum Sacerdotum Gallorum in Anglia degentium Londini impressum, atque inscriptum omnibus Catholicae Ecclesiae Episcopis per universum orbem. Vide etiam laudat. Roskovany loco citato. De hisce sententiis non attinet plura dicere. Pro nostro instituto pauca notabimus, eaque tum ex iure, tum ex facto deprompta. Ex iure primum: « Cum Romanus Pontifex, ut praeclare scripsit Augustinus de Roskovany in suo libro de Primatu Romani Pontificis §. 84, vi Primatus supremam omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerat, ad augmentum boni Religionis et Ecclesiae Catholicae semper vigilare et curare debet, ut cum civilibus Guberniis de securitate et libertate Ecclesiae, de iurisdictione et disciplina, de privilegiis et immunitatibus amicabiliter tractet, et pacta ineat legibus Ecclesiae conformia. Verbo, ius Concordata ineundi arctissime cohaeret cum natura Primatus, et universalis inspectionis Eccle-

siae. Concordata porro hoc etiam nomine gravissimi sunt tum pro Ecclesia, tum pro Civitate momenti, quod dum per illa nexus utriusque insigniter emicat, e re utriusque pariter sit, ut eadem in vim legum fundamentalium assumantur. » Ad rem Clar. de Montalembert ait « Deuxième lettre à Mr de Cavour, Paris 1861 : « Le régime des concordats est parfaitement compatible avec la liberté, comme avec la justice. Il a des inconvénients, comme tous les régimes d'ici bas; mais il a encore plus d'avantages. Ce que le prouve c'est le zèle que déploient tous les révolutionnaires pour déchirer tous les Concordats qui leur tombent sous la main. » Ex facto: siquidem Ecclesiae et Imperio faustum felixque semper exstitit Concordata inire.

In Concordatis de rebus spiritualibus ac temporalibus agi solet, ac praesertim de numero Episcopatuum et Archiepiscopatuum, ac finibus Dioecesum, de capitulis, de Seminariis, de dotationibus, de privilegiis, de collatione beneficiorum, de nominationibus Episcoporum, de regio Patronatu, de exercitio ecclesiasticae potestatis, de immunitate rerum, locorum, et personarum, de causis ab utroque foro cognoscendis, deque aliis id genus. Utrum autem concordata rationem habeant indulti, seu privilegii, vel pacti, aut contractus in controversiam revocatur. Nobis illa arridet sententia, quae statuit pacti rationem habere, estque illud pactum non temporarium, vel personale, sed reale ac perpetuum, quod religiose observandum est. Reapse Iulius III verba faciens de concordatis Germaniae ait: « Nos attendentes concordata praedicta VIM PACTI INTER

PARTES HABERE, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse, nec debere. » Bulla « *Decet Romanum* » die 14 Sept. 1556. Leo X in concord. cum Francisco I: « Illam conventionem contractus et obligationis inter nos et S. A. ex una parte, et praefatum Regem et regnum suum ex altera legitime initi vim, et robur obtinere; nec non irritum ac inane quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam per nos et successores nostros scienter, aut ignoranter contigerit attentari decernimus. » Et addit « utramque partem contrahentium spondere se, suosque successores, omnia de quibus conventum est, sancte servaturos. » Vide Schenkl Hist. Iur. Eccl. §. 176.

Febronio temere affirmanti, « Praetendit Curia (sic Apostolicam Sedem nominat) Concordatis se non ligari, respondet Auctor Febronii abbreviati cum notis tom. III, §. 14 Francofurti et Lipsiae 1785: « Ubi probatio? hoc per se et simpliciter dictum falsissimum est; audiantur solum ipsi Summi Pontifices Innocentius X, Clemens VII, Paulus V, Gregorius XII, dein distinguatur inter *Potestatem* Summi Pontificis, et *usum Potestatis*, prout monet Germaniae Canonista D. Barthel. Dissert. General. de Concord. cap. 3, sect. 2, num. 3, et 5, ubi ait; Cum utilitas communis, evidentissima, puta, si moderna disciplina in graves, communes et constantes abusus patenter degeneraret, etc., aut extraordinaria gravissima flagitaret Ecclesiae necessitas, ex plenitudine Potestatis, dominante caritate, et prudentia duce, a Summo Pontifice provideri posse, atque hoc sensu eiusdem Potestatem, generalem superintendentiam

et imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel potius sub concordatis nunquam comprehensum, coarctatumque fuisse inficiari ego non ausim. Plenitudo etenim Potestatis pontificiae ex iure divino respicit bonum commune Ecclesiae: ergo quomodocunque paciscatur Summus Pontifex, non potest excludere hanc conditionem, *nisi aliud exigat commune bonum Ecclesiae:* atque in ordine ad hoc ipsum condita createque sunt Concordata: medium vero desinit esse tale, dum evidenter fini intento adversatur. Vides hic distingui inter *Potestatem* et *usum Potestatis*, hunc in Pontifice ligari per Concordata, Potestatem non ligari, atque in hoc sensu loquuntur et intelligendi sunt, vel potius combinari debent Pontifices, qui dicunt se concordatis ligari, et alii ex adverso se non ligari. » Eadem habet Biner Apparat. Iurisp. Can. p. 6, c. 3, art. 8, §. 6. Ex quibus concludere licet, discrimen omne inter Summum Pontificem et Principem in pactis conventis ineundis inde potissimum oriri, quod *in illo* usus tantum potestatis, in isto ipsa potestas devinciatur, adeoque S. P., si tractu temporis res eo devenerit, ut, circumstantiis mutatis, pactum servari, sine maximo ecclesiae detrimento nequeat, a data fide recedere merito permissum sit, Principi e contra, nullis adiunctis, et ne attenta quidem substantiali in politici regiminis forma mutatione, licitum est aliquid addere vel decernere, omnisque organica lex, quae pactum conventum limitet, omni prorsus auctoritate caret, nec longa Ecclesiae patientia legitima evadet, praesertim si contra sit protestatum, ut constat de art. organicis in Gallia

per litteras Card. Consalvi 22 Maii 1802; allocut. Pii VII 24 Maii 1802, et Card. Caprara litt. 18 Aug. 1803. De toto hoc argumento vide Nicolaerts Praxis beneficiorum ex Concordatis Germaniae, Branden super Concordat., Barthel de Concordatis Germaniae diss. gen. sect. 2, n. 2 et Disser. « Della natura e caratteri essenziali dei Concordati, » Parigi coi Tipi di Firmino Didot, 1850.

CAPUT V.

DE ADMINICULIS IURIS ECCLESIASTICI

§ 69.

De adminiculis generatim.

Hactenus de praenotionibus dictum est, in quibus explanata primum Iuris ecclesiastici natura atque indole, aperuimus partes, ac fontes, unde vera et solida Iurisprudentiae ecclesiasticae scientia haurienda est. Propriam vero cuiusque partis, et fontis vim, auctoritatem, atque usum demonstravimus, ut huius disciplinae alumni probe intelligerent, quid de divinis ac ecclesiasticis statutis tenendum, quae sit S. Scripturae, quae Traditionis auctoritas, quantum ponderis definitionibus, atque decretis Conciliorum, et Apostolicae Sedis tribuendum, atque ita deinceps de reliquis fontibus disseruimus. Denique tradidimus regulas, quibus rectus usus atque auctoritas tum Corporis, ut aiunt, Iuris canonici, tum caeterarum eiusdem Iuris collectionum plane cognita atque perspecta haberetur, ne dubia pro certis, et falsa pro veris acciperentur.

Reliquum est, ut qui Institutionibus canonicis operam dare, in iisque proficere cupiunt, in aliis eiusdem Iuris adminiculis instruantur, potissimum vero in Humanioribus litteris, in Logica et Metaphysica, in Iure naturae et gentium, inque Historia Ecclesiastica, et antiquitatibus Christianis, et denique in subsidiis litterariis versati sint, de quibus breviter dicendum est.

§ 70.

De Humanioribus litteris.

Itaque Humaniores Litterae in Academiis, in Lycaeis, in Foro, in omni scientiarum genere plurimi semper factae sunt: quidquid enim dixeris, vel scripto consignaveris, ab humanitate et eloquentia splendorem, atque ornamentum accipit, et quamdam habet maiorem vim ad movendum et persuadendum. Praeterea politiores litterae plurimum delectant, quarum venustate atque praestantia adolescentes illecti, ad earum amorem et studia mirifice excitantur. Igitur iure meritoque Cardinali Andreae Alciati summae laudi datum est, quod primus Iurisprudentiam humaniorum litterarum lumine illustravit.

§ 71.

De Logica et Metaphysica.

Post rhetoricam danda est opera logicae et metaphysicae, nobilibus philosophiae partibus, quarum prima cogitandi, iudicandi, atque ratiocinandi artem edocet. Scilicet mentem dirigit ad veram rerum notionem, atque intelligentiam concipiendam, tum ad rite iudicandum, falsaque a veris secernenda, deinde ad aliud ex alio inferendum, denique ad fallaces ratiocinationes, et sophismata detegenda atque refellenda. Quid praestantius et utilius?

Quid vero de metaphysica dicemus? Haec in on-

tologia disputat de ente, sive de iis omnibus, quae sunt, aut esse possunt, estque disciplinarum omnium fundamentum : psychologia vero animae naturam et proprietates, eiusdemque varium operandi modum explanat. De quibus praestantissimis disciplinis nihil addendum putamus, quo magis earum utilitas, atque necessitas comprobetur. Sed dolendum est, eas perniciosis pravisque opinionibus infectas ab auctoribus non paucis fuisse ; atque adeo magnopere cavendum est, ne mentes adolescentium, dum logicae et metaphysicae studiis vacant, talibus exitiosis doctrinis, erroribusque imbuantur. Igitur quam maxime necesse est Institutores habere doctos, recteque sentientes, praesertim quod de re philosophica plura adsint systemata, *Ontologismi*, *Psychologismi*, *Traditionalismi*, ac *Rationalismi* nomine condecorata, quae tironibus nota ac perspecta esse valde iuverit. De *ontologismo* loquuntur Fabre « Défense de l'Ontologisme, » Ubachs « Theodicaeae elementa, 1857, et op. Essai de l'Idéologie, 1860, » Happin « Études philosophiques, » et Brancherau « Praelect. philosophiae in Sem. Claremon. habitae.» *De Psychologismo* plures verba faciunt, quos inter Liberatore, Tongiorgi et *la Civiltà Cattolica*. *De Traditionalismo*, vide Bonnetty « Annales de philosophie chrétienne, » et Bouix « de princ. Iur. can., 1862. » Vide etiam Mazzico « Manuale di filosofia » Modena 1861, Milone « Scuola di filosofia » Napoli 1862, Calvanese « Scienza e fede » ivi, 1862, Sanseverino « Philosophia christ. cum antiqua et nova comparata. » Napoli 1862, et Ramière « de l'unité de l'enseignement de la philosophie » Paris 1863.

Consule Clemens « de scholasticorum sententia, philosophiam esse Theologiae ancillam, Commentatio. »

§ 72.

De iure naturae et gentium.

Ius naturale inter Iurisprudentiae ecclesiasticae fontes recensuimus, deque eius praestantia, vi, atque usu disseruimus, quantum ratio Institutionum postulare videbatur. De Iure autem gentium ne verbum quidem fecimus.

Quaeritur itaque utrum Ius gentium a natura sit, an secus? Huic autem quaestioni paucis atque perspicuis verbis, nisi nos fallit opinio, satisfacere posse arbitramur. Enimvero certum est universos homines non minus ac singulos Providentiae Dei subesse. Super universos itaque ac singulos homines « signatum est lumen vultus Domini, » ut ostenderet eis bona, Psalm. IV, 7. Praeclare S. Augustinus in Psalm. 118, serm. 15: « Nunquid lex naturalis non erat in populo Israël? Erat plane, quoniam et ipsi homines erant. » Haec autem aptissime explicat Iac. Zallinger de Iure naturali gentium, lib. IV, § 268, ubi ait: « Ius gentium naturale est complexio iurium et obligationum, quae inter diversas gentes ab ipsa natura constitutae sunt; eius existentia in dubium vocari nequit. Nam per consociationem singulorum in statum civilem, nec singuli, nec universi exuerunt naturam humanam, in qua ratio iurium et obligationum erga alios homines continetur, qui etsi eodem statu civili non contineantur, tamen humanitatem et naturalis Iuris communionem retinent.»

Sunt igitur inter gentes quaedam Iura , eaque apud omnes semper eadem et immutabilia , quae servari omnino oportet.

Hoc autem loco operae pretium est Adolescentes Iuris naturalis cupidos haec monere.

1° Si tollas notionem Dei iusta et honesta iubentis, et contraria prohibentis, legem naturalem nec esse , nec concipi posse, deficiente suo Legislatore , cuius imperio et auctoritate constringantur homines interna parendi obligatione.

2° Itemque si tollas notionem Dei praecepta naturalia sancientis, eaque servantibus praemia , et contra agentibus poenas in altera vita retribuentis, legem naturalem necessaria sanctione , omnique virtute et efficacia destitui.

3° Denique sublato divinae revelationis lumine, homines nequire omnia Iuris naturae praecepta cognita planeque perspecta habere. Qua in re maxime peccant protestantes, qui divinae revelationis necessitatem denegantes, suisque viribus fidentes, malunt turpiter errare , quam revelatione duce ac magistra erudiri. Enimvero pro certo habent cum Puffendorfio, tom. II, 1, 4 c. 2 : « posse integrum tradi Ius naturae et gentium , omnia hominis et civis officia rite explicari , nullo habito ad Fidem respectu. » Et Gundlingius in Discur. de Iure nat. et gent. c. 1 , § 6 : « Quid opus est uti Scriptura , si quid ex ratione intelligere possumus?... Veritas naturalis ex Scriptura disci non potest... Illos miserabiles homines esse , qui velint Ius naturae ex Sacra Scriptura docere. »

Contra quos Ioannes Nepomucenus Endres in Dissert. canonica « de necessario Iurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu » apud Antonium

Schmidt, tom. 1, Thesauri Iuris ecclesiastici cap. 1 praeclare scripsit : « Solam rationem hominum alio omni subsidio destitutam ad illud (ius naturale) omnimode, et absque omni erroris periculo cognoscendum, et penitus exhauriendum nequaquam sufficere. Angustis admodum limitibus, spatiisque conclusa sola fere principia universalia cognoscet; in reliquis vero praeceptis particularibus, quae ex illis veluti praemissis deducenda sunt, saepius cespitat et allucinatur. » Id autem probat ex catholicae fidei doctrina, qua confitemur Adami praevaricationem non sibi soli, sed eius quoque propagini nocuisse : atque ideo homines per illam praevaricationem in deterius commutatos fuisse, ut sine supremo revelationis lumine nequeant ad cognitionem multarum Iuris naturae veritatum rite recteque pervenire. Idque praeterea confirmat exemplo Ethnicorum philosophorum, ex quibus nemo exstitit unus, qui hisce de rebus tractando turpiter non erraverit. Hinc factum est, ut necessitatem revelationis agnoverint iam pridem, ac fassi sint praestantissimi quidam philosophi, inter quos Socrates, teste Platone in Alcibiade dial. II, dicebat, expectandum esse aliquem, qui nos edoceret « quo animo et erga Deos et erga homines esse oporteat. »

Quod autem generatim pertinet ad protestantium errores, admodum scite sapienterque scripsit Petrus Ignatius Schwartz in opere, quod inscribitur: « Institutiones Iuris universalis naturae et gentium, ad normam moralistarum nostri temporis, maxime protestantium Hugonis, Puffendorfii, Thomasii, Vitrarii, Heineiccii, aliorumque ex recentissimis adornatae, et ad crisim revocatis eorum

principiis. Augustae 1743, deinde Venetiis 1760.» Decennio post cum protestantes nullum finem facerent catholicos Doctores exagitandi, tanquam in tradendo iure naturae mortalium omnium ineptissimos, cumque inani ostentatione gloriarentur, se primos in eo iure rite tractando atque explanando interpretes et magistros fuisse, Monachii anno 1753 ad eorum os obstruendum liber prodiit, cuius inscriptio haec est: « Iuris naturalis larva detracta compluribus libris sub titulo iuris naturae prodeuntibus, uti Puffendorfianis, Heineccianis, Wolphianis, et aliis, quorum principia iuris naturae falsa ostenduntur, ignorantiam, quam catholicis affingunt, in ipsis regnare proditur, cavillationes deteguntur, promissa splendida ab ipsis non observata exponuntur, pugnae et contradictiones eorum et secum ipsis exhibentur; scopus illorum praecipuus, nimirum catholicae rei detrimentum, denudatur; Nobilitas, Iuventus; Politici periculi admonentur a P. Anselmo De Singh Benedictino. »

In hoc eodem argumento breviter quidem, sed egregie versati sunt Ioannes Baptista Guarini in libro, quem inscripsit « Iuris naturae et gentium principia et officia ad christianae doctrinae regulam exacta et explicata, Panormi et Romae 1679; » Ioannes Baptista Lascaris « Iuris naturae et gentium principia et officia Romae 1778; Iacobus Zallinger « De Iure naturae privato, sociali et publico, deque Iure naturali gentium. Augustae Vindelicorum 1784. » Quicumque praeterea scientiam iuris naturae et gentium, eamque accuratam, solidam atque omnis erroris expertem acquirere cupiunt, praeter auctores citatos § 15, ad manus habeant tractatus « de legibus » S.Thomae, et P. Suarez, P. Pauli Layman, aliorumque Doctorum catholicorum, ex iisque quidquid ad illius iuris eruditionem, atque doctrinam pertinet, abunde haurire poterunt.

§ 73.

De historia.

Illud denique reliquum est, ut de historia dicamus. Nihil autem magis necessarium est, ad Iuris sacri scientiam acquirendam, quam historia, idque perspicuum cuique erit ex iis, quae in medium proferemus. Enimvero nemo est, qui non intelligat ad rectam Iuris ecclesiastici cognitionem magnopere interesse priorum trium Ecclesiae seculorum dogmata, disciplinam, mores, institutaque perspecta explorataque habere; ad ea siquidem SS. Ecclesiae Patres, atque Doctores frequentissime provocant, et illinc permulti canones, decretaque in Ecclesiam derivarunt. Atqui earum rerum omnium notitiam adeo utilem et necessariam ncn possumus, nisi a traditione et historia, nobis comparare. Sic etiam quae a Conciliis constituta, definita, et decreta fuerunt, quorum magna est in Ecclesia auctoritas atque usus, ea nescio quomodo recte intelligi et applicari possint, sine lumine historiae, quae, cur, et quomodo, et quando Concilium celebratum fuit, res de quibus actum est, disquisitiones, disputationes, deliberationes habitas palam facit. Et undenam antiqui Ecclesiae ritus et usus et incrementa, mutationesque disciplinae, et id genus alia possumus perspecta, planeque cognita habere? Nonne ab antiquitatum Ecclesiasticarum historia? Uno verbo, historia ecclesiastica est earum rerum notitia, quae ad Ecclesiam pertinent: aperit decretorum et institutionum ecclesiasticarum origi-

nes et causas, catholica dogmata, acta Conciliorum, Constitutiones Pontificum, pactaque publica et huius generis alia.

Ad leges denique Ecclesiasticas cum interpretandas, tum rite recteque applicandas, non sufficit earum verba tenere; sed necesse omnino est legislatoris mentem, sive, ut aiunt, spiritum legis bene exploratum habere. Mens autem legislatoris cognoscitur ex rationibus, causis, aliisque rerum eventibus, quae ad legem ferendam eumdem moverunt. Haec autem omnia, aut semper aut plerumque, ab historia petenda sunt. In collectione Decretalium, earum nempe epistolarum, quibus consulti Pontifices ad dubias quaestiones responderunt, quaeque potiorem Iuris canonici partem conficiunt, non integrae Pontificum epistolae relatae sunt, sed ea tantum epistolae pars, in qua Pontifex de re proposita sententiam dixit. Ex quo sequitur accuratam controversiae, et circumstantiarum notitiam neque a decretali, neque (quod interdum, vel potius nimium saepe fit) ab integra epistola haberi posse, sed eam oportere aliunde quaerere, in monumentis scilicet historiae, scriptisque Iurisconsultorum, qui super ea quaestione copiose diligenterque egerunt. Id ipsum, si non de reliquis omnibus, at certe de plerisque Iuris ecclesiastici legibus dicendum est; quin etiam Iuris civilis Consulti praesidio historiae indigent, adeo ut Iustinianus § 1 Institut. De Iur. et Iustit. Iurisprudentiam civilem non modo « in scientia iusti et iniusti, verum etiam in notitia rerum divinarum et humanarum collocaverit. »

Hic vero non putamus rem inutilem facturos, si pauca dixerimus de historiae Ecclesiasticae Scri-

ptoribus, deque fide eorum dictis adhibenda. Iam vero inter omnes historiae novi foederis Scriptores maxime excellunt, atque eminent Sanctissimi Viri et Evangelistae Matthaeus, Marcus, Lucas et Ioannes, qui nos Iesu Christi, Servatoris nostri vitam, doctrinam, miracula et portenta, mortemque et resurrectionem, tum Apostolorum labores, resque ab eis gestas, et Ecclesiae constitutionem, mandataque ab ipso Christo, sive ab Apostolis eidem Ecclesiae data docuerunt, quorum libri ad canonem divinarum Scripturarum in primis pertinent. Nemo autem exstitit, qui priorum trium seculorum integram historiam scriberet, fragmenta tantum habemus; nihilominus quae Ecclesia toto eo tempore docuit, decrevit, constituit, et gessit, quae vel adversa, vel prospera experta est, ea omnia ex SS. Ignatii, Polycarpi, Dionysii Alexandrini, aliorumque Episcoporum epistolis, ex Apologiis, quae pro defensione religionis et christiani populi editae fuerunt, aliisque monumentis antiquitatis facile colligi et cognosci poterunt. At seculo quarto et deinceps multi Scriptores exstiterunt, qui historiam ecclesiasticam litteris consignarunt. Cunctos autem longe multumque superavit Cardinalis Caesar Baronius Annalium ecclesiasticorum parens merito appellatus. Eius opus prosequuti sunt Odoricus Raynaldus, Abrahamus Bzovius, Henricus Spondanus, et Iacobus de Laderchio, et Theiner nunc prosequitur. Praeterea in adornanda historia ecclesiastica insignem operam posuerunt Natalis Alexander, Antonius Fleury, Hyacinthus Amat Graveson, Iosephus Augustinus Orsi, Tillemont, Saccarelli, Stolberg, Döllinger; Alzog, Wouters, Rohrbacher, Palma, Delsignore, Tizzani, aliique

plures, quos longum esset et non necessarium commemorare.

Iam vero de fide Historicis adhibenda sic habetote. Praeter Scriptores Sacros, quibus certam ac divinam fidem adiungere debemus, caeteri omnes Historici et falli et fallere possunt: ex quo consequitur, nos non debere sicuti spongias, quae qualescunque liquores imbibunt, narrationes omnes historicas sine ullo delectu excipere, eisque fidem habere; sed videndum, an historicus sit scientia et probitate praeditus, num id scire potuerit quod narrat: scire autem per se potuit, si coaevus et domesticus fuerit; at vero si ab aliis didicit, fide dignus erit, quatenus narrationes suas a certis monumentis hauserit. Verumtamen hac de re regulae critices ante oculos habendae sunt, de quibus vide Mabillonium op. de Studiis Monasticis ex gallica in latinum idioma reddito a P. Iosepho Porta, Ven. 1748, part. 2, cap. 8, Honorati a sancta Maria Animadversiones in regulas et usum criticae, Venet. 1788 et Melchiorem Canum de Locis theolog. lib. 2, cap. 6.

§ 74.

De subsidiis litterariis.

Libri de Iure Canonico a doctis et catholicis viris conscripti magno nobis sunt adiumento ad Ecclesiasticam Iurisprudentiam perdiscendam. Neque librorum huiusmodi copia desideratur, quin potius (ut vulgo dicitur) » inopes nos copia facit. » Namque Ioannes Doujat *Praenotionum Canonicarum* lib. 4 auctores novem et viginti enumerat,

qui in Decretum et Decretales glossas, ut aiunt, sive verborum parum usitatorum interpretationes fecerunt, itemque Auctores centum et quatuor, qui non modo verba Decreti, et Decretalium, sed universi Iuris Canonici leges ipsas interpretati sunt, distincte recenset, adiuncto etiam de singulorum vita, et scriptis brevi Commentario. Exstiterunt praeterea alii praestantes viri, qui acri ingenio Ius Canonicum illustrarunt, videlicet Henricus Pirrhing, Franciscus Schmier, Franciscus Schmalzgrueber, Anacletus Reiffenstuel, Vitus Pichler, Ludovicus Engel, Theodorus Ruprecht, Emmanuel Gonzalez, Innocentius Gironius, Remigius Maschat cum additionibus Ubaldi Giraldi, aliique plurimi. Qui quidem omnes, quamquam in explanandas Decretales, ubi de iure privato potissimum agitur, omni studio et diligentia incubuerint, data tamen occasione, in pertractandis etiam quaestionibus Iuris publici Ecclesiastici, admodum scite et erudite versati sunt.

Cum vero Ius publicum ecclesiasticum seorsum a privato tractari coeptum esset, plurimi Auctores ad illud illustrandum dederunt operam. Sed eorum alii Praenotiones sive Prolegomena, quae ad Ius publicum ecclesiasticum rite percipiendum viam sternunt, in lucem ediderunt. Cuius generis sunt praedictae « Praenotiones Canonicae » Ioannis Doujat Lipsiae 1779, Iacobi Antonii Zallinger « Institutionum Iuris Ecclesiastici publici et privati Liber subsidiarius, qui est Isagogicus, et principia et fontes Iuris Ecclesiastici exhibet » Augustae Vindelicorum 1784, Ioseph Antonius Riegger « Prolegomena ad Ius Ecclesiasticum » Augustae Vindelicorum 1764.

Aliis vero placuit Institutiones Iuris publici ecclesiastici conscribere, in quibus praecipua eiusdem Iuris capita distincte et ordinate exponunt atque explicant. Huc spectant Ioannis Devoti « Institutiones Canonicae, » et Vincentii Lupoli « Praelectiones Iuris Ecclesiastici, » in quibus Ius privatum Ecclesiasticum cum praecipuis Iuris publici quaestionibus mire coniungunt, de iisque doctissime disserunt; « Institutiones Maurii de Schenkl adnotationibus auctae a Schell » Landshuti 1830, in quibus nec analysis accurata, nec eruditio, nec ordo desideratur, sed nonnulla reperies, quae non probabis, nonnulla vero prorsus improbabis, quippe quae Febronianis erroribus infecta sunt; « Specimen elementare Iuris publici ecclesiastici » plane catholicum editum est Lucani 1844, « Manuale Iuris Ecclesiastici » Ferdinandi Walter, Pisis 1846, opus multa laude dignum, sed dolendum, quod nonnullis maculis aspergatur. Hic autem commemorare possemus Roberti Curalt « Genuina totius Iurisprudentiae sacrae capita » Viennae 1781; Xaverii Gmeiri « Institutiones Iuris ecclesiastici publici » Viennae 1782; Georgii Sigismundi Lakics « Institutiones Iuris ecclesiastici » Budae 1776; P. Philiberti Obernetter « Institutiones Iuris ecclesiastici, » Constantiae 1782. Sed istas multasque alias Iuris publici Ecclesiastici Institutiones praetermittimus, eo quod plurimis erroribus refertae sunt.

Atque hic facere non possumus, quin adolescentes moneamus, ne antequam orthodoxa Iuris Ecclesiastici principia bene praevisa diligenterque explorata habeant, in studio disciplinarum canonicarum cuilibet auctori sine delectu et consilio

dent operam. Exstiterunt enim superiori praesertim seculo plures Canonistae, qui tantum abest, ut Sacras Litteras, Divinas et Apostolicas Traditiones, doctrinam Ecclesiae, aliosque purissimos fontes consectarentur, ut potius loca Sacrae Scripturae, si quae proferunt, artificiosis et mendacibus interpretationibus corrumpant, quaedam principia a Iure publico et maiestatico deprompta Ecclesiae, totiusque venerandae antiquitatis auctoritati praeferant, atque eo spectent, ut sacrum Imperium in Apostolos eorumque Successores ab ipso Christo collatum ad conditionem cuiusdam humanae institutionis deprimant. Inter quos in primis notandus est Iustinus Febronius in suo opere.

Sed ad propositum redeamus. Praeter Prolegomena et Institutiones, de quibus diximus, alii denique tractatus seu libros de quibusdam Iuris Ecclesiastici quaestionibus, sive partibus evulgarunt. Sunt autem P. Antonius Bianchi « De potestate et politia Ecclesiae » Romae 1751; Canonicus Puy « De auctoritate utriusque potestatis » opus italice redditum a cl. viro Caesare Brancadoro, et adnotationibus auctum Fulginiae 1788; Francisci Antonii Zaccaria « Antifebronius, » Pisauri 1767; et « Antifebronius vindicatus » Cesenae 1771; « Febronius abbreviatus cum notis adversus neotericos Theologos et Canonistas, » quod opus incerti auctoris ex omnibus, qui contra novam Febronii doctrinam erudite scripserunt, iure et merito laudandum.

Sed haec satis sint. De ratione vero et ordine, quo studiis canonici Iuris danda est opera, habemus inter Opuscula Ioann. Adami L. B. de Ick-

statt Opusc., 1 « de studio Iuris ordine, atque methodo scientifica instituendo, » Ingolstadii et Augustae Vindelicorum 1747; et eruditissimi Iuris Canonici interpretis Francisci Florens Dissertationem « de recta Iuris Canonici discendi ratione. »

Satis de primo libro, ubi prolegomena in Ius Canonicum traduntur.

INDEX

—

CAPUT I.

DE IURE CANONICO GENERATIM

—

CAPUT II.

DE PARTIBUS IURIS CANONICI

CAPUT III.

DE FONTIBUS IURIS CANONICI

CAPUT IV.

DE CANONUM COLLECTIONIBUS

CAPUT V.

DE ADMINICULIS IURIS ECCLESIASTICI

V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.

Th. Ioseph Ghiringhello.

Bertolotti. Il Purgatorio; Discorsi e schiarimenti, in-12 . . . . . L. 1 60

Biblia Sacra vulgatae editionis Sixti V Pont. Max. iussu recognita, et Clementis VIII auctoritate edita; *Decreto S. Congreg. approbata*, in-8 . . . . . . » 6 50

Bougeant. Catechismo Storico, Dogmatico e Pratico, ossia Esposizione della Dottrina Cristiana, appoggiata a Testi della S. Scrittura e de' Ss. Padri, 1 vol. in-12, 1866, II *ediz.*, *coll'appendice d'un opuscolo sulle forme ed impedimenti del Matrimonio Civile* . » 5 »

Breviarium Romanum ex decreto Ss. Concilii Trid. restitutum, S. Pii V Pont. Maximi iussu editum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, cum Officiis sanctorum usque ad hanc diem concessis. *Un vol.* in-16, *in nitid. carattere e correttissimo* » 8 »

Busaei (Ioann. S. I.). Enchiridion piarum Meditationum in dominicas ac festa totius Anni, necnon Quadragesimae, Quatuor temp. etc., item de Christi Vita ac Passione, etc., in-16 . . . . » 2 50

Cattaneo. Esercizi spirituali di S. Ignazio, in-12 . . . . » 1 25

Cesari. Opere Morali e Sacre, vol. 6 in-8, *bella edizione a due colonne*, *nitida e ben corretta* . . . . . . » 28 »

— Lezioni Storico-Morali sopra la S. Scrittura, in-8 . . . . . . » 6 »

— La Vita di Gesù Cristo e i Fatti degli Apostoli, 2 vol. in-8 . . . . » 10 »

— Fiori di Storia Ecclesiastica, 2 vol. in-8 » 8 »

Clary (Mons. Michele Basilio). La santa

Filosofia della mente e del cuore, ossia la Filosofia cristiana in rapporto alla religione, alla morale ed alla Politica, esposta in Omelie, in-8 . . . . . L. 2 50

Daponte. Meditazioni tradotte dallo spagnuolo dal sig. Braccini, corrette e a miglior forma ridotte dal P. G. Bonaretti, 2 vol. in-8 » 10 »

De Imitatione Christi, libri quatuor, nova editio accuratissime emendata, indiceque locupletata; *aggiuntevi le citazioni della sacra Scrittura*, in-32 . . . . . » » 80

Del Monte. Gesù al cuor del Sacerdote, ossia Considerazioni adatte pei Sacerdoti per ogni giorno del mese, con altri esercizi, in-16 » » 60

Devoti. Institutionum Canonicarum, libri quatuor 3 vol. in-8 . . . . . » 6 50

Diertins. Exercitia spiritualia S. P. Ignatii Loyolae, cum sensu eorundem explanato, et Directorium, additis tribus appendicibus; *editio novissima post quintam antuerpiensiem*, vol. 2 in-12 . . . . » 6 »

Dubois. Guida dei Seminaristi e dei giovani Chierici, in-16 . . . . . » 2 »

— Pratica dello zelo ecclesiastico, ossia mezzi per rendere il ministero sacerdotale onorevole e fruttuoso, in-16 . » 2 »

— Il santo Prete, ovvero necessità e mezzi di ottenere e perfezionare la santità sacerdotale, in-16 . . . . . » 2 »

Esami Ecclesiastici e Massime sacerdotali per ciascun giorno della settimana ad uso e comodo del Clero, in-18 . . . » » 30

Fuccio. Sermoni morali raccolti per uso specialmente del Mese di Maria; *seconda edi-*

zione riveduta ed aumentata dall'autore, in-16 . . . . L. 1 »

Gilli. Trentadue Discorsi morali sulla Vita della B. V., pel mese di Maggio, *II ediz.*, in-12 . . . . » 1 60

Hermeneutica Sacra seu introductio in omnes et singulos libros sacros veteris et novi Foederis, auctore I. H. Ianssens. *Edizione purgata dagli innumerevoli errori di altre edizioni*, in-8 . . . . » 3 25

Horae Diurnae Breviarii romani cum Officiis Sanctorum novissime per summos Pontifices usque ad hanc diem concessis. *Edizione correttissima del 1866*, in-32 . . . » 1 60

Index Librorum prohibitorum, *con tutte le appendici sino al dì d'oggi*, in-12 . » 3 »

Introductio in Libros Sacros veteris et novi Testamenti, usui eorum accommodata, qui a disciplinis philosophicis ad Scripturae S. et Theologiae studia gradum facere parant; *con carta geografica della Palestina*, in-12 » 1 60

Liguori (S. Alfonso M.). Opere; *bella e nitida edizione stereotipa, in 10 vol. in-8 a due colonne, compresavi la Vita del Santo scritta dal Padre Tannoia* . . » 66 »

Le suddette Opere si vendono anche a classi separate, cioè:

— Opere ascetiche, vol. 4 . . » 26 »
— Morali latine, vol. 3 . . » 20 »
— Morali italiane, vol. 2 . . » 7 50
— Dommatiche, vol. 1 . . . » 7 50

Delle quali si vendono ancora separatamente:

— Apparecchio e ringraziamento per i sacerdoti nel celebrare la s. Messa, in-16 » » 40

Liguori. Breve Trattato della necessità della Preghiera, della sua efficacia, e delle condizioni con cui deve esser fatta, in-12 L. » 30
— Confessore diretto (il) per le confessioni della gente di campagna, 2 vol. in-12 » 2 25
— Delle cerimonie della santa Messa, in-12 » » 80
— Del Sacrifizio di Gesù Cristo e delle Cerimonie della Messa coll'apparecchio e ringraziamento nel celebrarla, in-32 . » » 60
— Examen ordinandorum, in-12 . » » 80
— Homo apostolicus instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones, in-8 » 5 »
— Istoria delle eresie, 4 vol. in-12 » 4 80
— Istruzione al popolo sovra i precetti del Decalogo e sovra i Sagramenti, in-12 » » 80
— Istruzione e pratica pei Confessori, con Indice alfabetico delle materie contenute nell'Opera, in-8 . . . . » 5 »
— Istruzione pei Predicatori, in-12 » » 40
— La fedeltà dei vassalli verso Dio li rende fedeli anche al loro principe, in-12 » » 30
— La Messa e l'Officio strapazzati, ovvero avvertimenti a' Sacerdoti, in-12 . » » 50
— Operette varie relative ai Confessori, in-12 . . . . » » 80
— Pratica per l'assistenza ai moribondi, in-32 . . . . » » 25
— Selva di materie predicabili ed istruttive per dar esercizi ai Preti, ed anche per uso di lezione privata a proprio profitto, in-8 » 2 »
— Sermoni compendiati per tutte le domeniche dell'anno, 2 vol. in-12 . » 2 25
— Theologia moralis, cui accedit dissertatio P. Zachariae et decreta Romanorum

Pontificum morum materiam respicientia. *Editio stereot. accuratissima*, 2 vol. in-8 L. 12 50

Liguori. Undici Discorsi per la Novena e Festa del S. Natale, in-12 . . . . » » 80

— Verità della Fede contro i Materialisti, Deisti e settari, 2 vol. in-12 . » 2 50

— Vittorie de' Martiri, ovvero le vite dei più celebri Martiri della Chiesa, in-12 » 1 60

Malmusi. Analisi del Quaresimale del P. Segneri, in-8 . . . . . . » 1 25

Malou. L'Immacolata Concezione della Beata Vergine Maria considerata come Dogma di fede, versione dal francese di Gio. Agostino Pizio, in-8 . . . . . . » 3 25

Manuale di pietà ad uso dei Seminaristi, tradotto dal francese e adattato a' Seminari d'Italia, in-32 . . . . . » 1 25

Maria Immacolata Madre di Dio, ricordi agli Ecclesiastici pel Mese di Maggio, in-18 » » 60

Mensis Eucharisticus. Hoc est, praeparationes, aspirationes et gratiarum actiones pro sumptione SS. Eucharistiae per singulos mensis dies distributae a Petro Xaverio Lercari, in-18 . . . . . . » » 40

Musso. Spiegazione dei Vangeli di tutte le Domeniche dell'anno, e Discorsi e Panegirici, in-8, *terza edizione* . . . . » 2 50

Novum Testamentum Domini Nostri Iesu Christi vulgatae editionis iuxta exemplar vaticanum. *Edizione correttissima*, in-32 » 1 25

Pensieri ecclesiastici, con avvertimenti adattati ai bisogni del tempo; raccolta fatta da un sacerdote, *edizione seconda*, in-18 » » 50

Perrone. Il Protestantesimo e la Regola di

Fede; *edizione arricchita d'importanti aggiunte dell'autore e diligentemente corretta*, in-8 . . . . L. 5 »

Perrone. Index Alphabeticus Analyticus rerum quae in Praelectionibus theologicis P. Ioannis Perrone continentur cum Sinopsis theologiae . . . . . . » 2 »

— De Virtute Religionis deque vitiis oppositi, nominatim vero de Mesmerismi, Somnambulismi ac Spiritismi recentiori superstitione, in-8, 1867 . . » 4 »

— De Virtutibus Fidei, Spei et Caritatis, in-8 . . . . » 4 »

— Praelectiones theologicae, quas in Collegio romano habebat, *editio trigesimaprima, ab Auctore revisa et aucta*, 1865-66, 9 vol. in-8 . . . . » 30 »

— Praelectiones theologicae in Compendium redactae; *editio* XXXI *ab auctore revisa et aucta*, 2 vol. in-8, 1866 . . » 8 »

Psalterium Davidis cum brevi ac succinta paraphrasi, ex Bellarmini commentario deprompta, 2 vol. in-16 . . . . . » 4 »

Rebaudengo. Corso d'Istruzioni Catechistiche sulle parti principali della Dottrina cristiana, ad uso dei sacri Oratori e dei semplici fedeli, vol. 2 in-8 . . . . . » 13 »

Regole di vita ed avvertimenti per un Sacerdote che attende alla propria ed altrui santificazione . . . . . . » » 60

Righetti. Il Mese di Maggio consacrato a Maria, proposto agli ecclesiastici, in-16 » 1 25

Ritualis Romani brevis collectio ad Parochorum commodum eorumque Vicariorum

in sacramentorum administratione, in infirmorum cura et eorum interitu, in-18 L. » 40

Rodericii (P. Alphonsi). Exercitium Perfectionis iuxta evangelicam Christi doctrinam, absolutissimam, virtutum christianarum maxime religiosarum praxim complectens, in tres partem distributum, interprete Matth. Martinez. *Editio quinta, prioribus emendatior, et ad hispanicum exemplar aliasque Patrum S. I. translationes recognita*, in-8 » 8 »

Rohrbacher. Storia universale della Chiesa Cattolica dal principio del mondo sino ai giorni nostri. *Prima traduzione italiana sulla terza edizione francese, contenente moltissime correzioni, variazioni ed aggiunte dell'Autore*, edizione aumentata della continuazione fatta dal Chantrel, e di un *Indice generale delle materie* che può servire di Dizionario compendiato di Storia ecclesiastica, 16 vol. in-8 . . . » 100 »

San Francesco di Sales proposto a modello delle anime pie e specialmente dei Sacerdoti, in-16 . . . . . . » 1 60

Scaramelli. Direttorio ascetico nel quale s'insegna il modo di condurre le Anime per vie ordinarie della grazia alla perfezione cristiana, indirizzato ai Direttori delle Anime, 2 vol. in-8 a due colonne . . . » 8 »

Scavini. Theologia moralis, *editio decima*, 4 vol. in-8 . . . . » 18 »

Segneri. Opere complete, precedute da brevi cenni sulla Vita dell'Autore, 4 vol. in-8 a due colonne. *Edizione nitida e correttissima* . . . . » 26 »

Delle Opere del P. Segneri si vendono anche separatamente le seguenti:

Segneri. Il Cristiano istruito nella sua legge, in-8 . . . . L. 7 50
— Il Parroco, il Confessore e il Penitente istruiti, in-8 . . . . . » 2 »
— Manna dell'Anima, ovvero Esercizio per tutti i giorni dell'anno per chi desidera attendere all'orazione, in-8 . . » 6 50
— Panegirici sacri, in-8 . . » 1 80
— Prediche fatte nel palazzo apostolico, in-8 . . . . » 1 »
— Quaresimale, in-8 . . . . » 3 25
— *Detto* coll'Analisi del Malmusi . » 4 »

Segneri (P. Paolo Iuniore). Opere postume, cioè Prediche, Discorsi e Istruzioni per uso delle sacre Missioni ed Esercizi spirituali, e Raccolta d'Operette spirituali, in-8. . » 3 60

Soglia. Institutiones Canonicae. *Vedi* Vecchiotti.

Spezi. Conferenze di Religione utili ad ogni colta persona, specialmente alla gioventù, in-8 . . . . » 4 »

Tannoia. Della Vita ed Istituto di S. Alfonso M. de Liguori, libri 4; *ediz. riveduta e corretta dal P. A. M. Chiletti,* in-8 . » 6 50

Uffizio della Settimana santa, colla versione di M.r Martini, le rubriche volgari e gli argomenti de' Salmi, dell'Ab. A. Mazzinelli. *Nuova edizione*, alla quale si aggiunse: la Benedizione degli Olii santi, lo *Stabat Mater* in latino ed in italiano, la Visita delle sette Chiese, i sette Dolori della B. V., la Corona delle

cinque Piaghe, e la Novena in onore di Gesù Nazareno, in-32, 1866 . . . L. 2 »

Lo stesso si vende anche legato in 3 o 5 volumetti, in varie legature.

Vecchiotti. Institutiones Canonicae ex operibus Io. Card. Soglia excerptae, 4 vol. in-16 » 8 »

Veith. Scriptura sacra contra incredulos propugnata; *editio secunda Taurinensis*, 3 vol. in-8 . . . . » 12 »

Vita di S. Francesco di Sales e di S. Giovanna Franc. Fremiot di Chantal, scritta in compendio per un barnabita, in-8 . » 2 »

Vita di S. Francesco di Sales Vescovo e principe di Ginevra, libri 6 del sacerdote Paolo Capello, in-8 . . . . . » 5 »

Vita (la) del Sacerdote vita di fede, ossia motivi ed eccitamenti per mantenere viva la fede nel Sacerdote, in-16 . . » 1 25